



CATHARRI SUFFOCATIVI
EJUSQUE
CURATIONIS
HISTORIA;

Authore Petro de Rotundis.

MATRITI: ANNO MDCCXXVIII.

Ex Tipographia Conventus B. V. M. de Mercede, Redemptionis Captivorum.

CENSURA R. P. M. Fr. JOANNIS Interian de Ayala, Sacri Regii ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, apud Salmanticenses Doctoris Theologi, atque ibidem Theologiæ cum Sacrarum Interpretatione Linguarum Professoris emeriti; S. C. M. à Concionibus, atque ejusdem in Regio Immaculatæ Conceptionis Consessu Theologi &c.

JUSSU ac mandato Perillustr. D. Doctoris Christophori Damasii, Illipulitani Canonici, Inquisitoris Ordinarii, Generalisque Vicarii Matritensis, eiusque tractus in Archi-diœcesi Toletana &c. vidi et perlegi Opusculum, cui titulus est: *Catharri Suffocativi ejusque Curationis Historia*; Author verò nobilis et eruditus vir D. Petrus de Rotundis, in Romana, ut vocant, Sapientiâ Doctor Medicus ac Professor &c. Utque de amicissimi capitis lucubratione ingenuè ac candidè pro meo more promam id quod sentio, prȩfari, imò testari,

si id opus est, in primis libet memet rei Medicę rudem omnino Censorem, aut verò prorsus Lectorem imperitum. Æsculapii Sacra, Machaonisque, aut Podalirii templa nullus attigi; tametsi fando audiverim, viguisse nuper alibi Riverios, Sennertos, Etmulleros, Malpighios, Sydenhanos, quemadmodum et apud nos fulserunt olim ingenti cum laude, *cùm fata Deusque sinebant*, quos suspexit Europa, Lagunas, Mercatos, Bravos, Vallesios, aliosque non paucos. Quare quantum ad id spectat, alii in hac professione seriò versati atque experti de Opusculo hoc, sicuti et de quovis alio Medico, sensum suum, per me licet promant, sententiamque ferant. Sed tamen non ob id suffragium meum, qualecumque illud est, promere proferreque in medium recusaverim; cùm libellus hic aliis nominibus non solùm probari, sed prorsus commendari jure merito debeat. Etenim præterquamquod nihil continet, quod Catholicę ac Sacrosanctę Fidei dogmatibus, bonisvè omninò moribus adversetur, quod

qui-

quidem dixiſſe mei muneris partes expoſcunt, habet pręterea duo, quæ mihi nimis arrident, ſummopereque placent, magis quàm ut verbis complecti queam. Alterum eſt ſtyli terſa prorſus et concinna elegantia, quâ vel facto ipſo docet, poſſe commodè et ſcienter res ſeveriorum etiam diſciplinarum, atque, ut vocant, facultativas, nitidè ac luculenter tradi, neque opus eſſe, quod indocti ſibi confingunt, ut eo nomine quòd ad ſcientias attinent, ſtatim oleant ſermonis barbariem, dictioniſque ſquallorem et illuviem. Alterum verò magiſque pręcipuum, quod in hoc opere maiorem in modum elucet, eſt animi candor prudenſque modeſtia, quâ longè ab ſcommatibus, dicteriis, conviciorumque plauſtris (quod in aliis Scriptoribus viri docti ſæpè deſiderant) veritatem promit, patefacit, atque ut planè decet ingenuum atque honeſtum virum, tuetur, explicat, atque exornat. Quare dignus libellus eſt qui Medicorum præſtantiſsimorum, eruditiſsimorumque hominum manibus teratur.

Ita censeo, salvo &c. In hoc Regii ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum Matritensi Cœnobio VII. Kal. Januar. Anno à Virg. Part. MDCCXXVII.



Fr. Joannes Interian de Ayala.

Imprimatur. Matriti 16. Januarii 1728.

Doct. Damasius,
V. Mat.

D.

D. DOCT. ANDREÆ GONZALEZ de Barcia in Supremis Conciliis Castellæ et Belli Senatoris integer. Censura.

P. D.

SUpremi Senatus Castellæ præscripto, *Catharri Suffocativi eiusque Curationis historiam* à D.Petro de Rotundis Medicinæ Professore lucubratam perlegi. In ea non minùs inveni, quàm præsumpsi. Continet enim quæ nonnisi doctissimum atque expertissimum virum deceant; si exactam ægri & ægritudinis delineationem; si styli candorem; si modestiam spectes. Omnibus numeris absoluta manet; adeo ut in ea nihil possit, me judice, desiderari. Præmium & palmam arripit vigilantissimus Author suæ virtutis virtutem ipsam, plaudente Claudiano,

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè In Panegir.Manl. Theod.
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,

Divi-

Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.

Haud proindè tamen eoùsque permittenda sibi virtus est, ut non aliquis etiam in Rempub. ab ea dimanet fructus, qui versatur maximè in publicandis egregiis illius operibus. Quibus delitescentibus vilis illa ac inutilis appareret:

Claudian. de 4. Consul. Hon.

———Quid enim submersa tenebris
Proderit? obscuro veluti sine remige puppis,
Vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Quapropter concedendam, quam postulat licentiam, censeo, ut omnes potiantur hac eruditissimâ lucubratione: cum præsertim neque in Regis jura, nec in bonos mores quidquam in ea inveniatur. Salvo &c. Matriti V. Kal. Januar. MDCCXXVII.

D. Andreas Gonçalez de Barcia.

LICEN-

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Balthaſar de San Pedro Aceve-do, Eſcrivano de Camara del Rey nueſtro ſeñor, y de Govierno del Conſejo: Certifico, que por los Señores de èl ſe ha concedido licencia por vna vez al Doctor D. Pedro de Rotundis, vecino de eſta Corte, para que pueda imprimir, y vender el Librito, que ha compueſto, intitulado: *Catharri Suffocativi eiuſque Curationis Hiſtoria*; con tal, que la dicha impreſsion ſe haga por el Original que ſe preſentò en el Conſejo, y và rubricado, y firmado de mi mano, y que antes que ſe venda ſe trayga al Conſejo con Certificacion del Corrector de eſtàr conforme à èl, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la Impreſſion lo diſpueſto por las Leyes de eſtos Reynos; y para que conſte doy la preſente. En la Villa de Madrid à quince de Enero de mil ſetecientos y veinte y ocho.

D. Balthaſar de San Pedro.

ERRATA

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.33. lin.18. abſtrictis,lege adſtrictis.P. 40.lin.18.eâ,lege ea.Pag.6.lin.11.par,lege per.Pag.ead. lin.15.eò,lege eo.Pag.69.lin. 11.eatenuſque, lege eatenus. P.89. lin. 14. morbus.lege morbus?Pag.111.lin.17.cauſurum, lege cauſarum.

Demptis his mendis ſuo Originali reſpondet. Matriti 20. Januarii 1728.

Lic.D.Benedictus del Rio
Cao & Cordido.
Correct. Gen.

SUMA DE LA TASSA.

Taſſaron los Señores del Conſejo eſte Librito à ocho maravedis cada pliego, como mas largamente conſta por la Certificacion dada por D. Balthaſar de San Pedro. Madrid 21. de Enero de 1728.

PRE-

ARS Medica prona, siquæ alia, fraudi errorique est. Sunt Artifices, qui ex alienâ credulitate authoritatem nacti quantacumque adlubet èque re suâ vident esse temerè ingerunt obtruduntque imperitis. Alii sunt, qui cum prius deceperint ipsi sese, Populum imprudentes decipiunt. Nihil autem Arti, Artemque invocantibus æquè malum, quàm si fallacibus falsisque ejusmodi ingeniis illius permittatur arbitrium. Artificio capi injuriosum est; errore periculosum. Interest igitur Reipublicæ intercedi quandoque, hancque coërceri licentiam. Quod nec difficile factu est: siquidem à Medicis, quibus Medicinæ fides dignitasque cordi est, quæcumque illiusmodi homines clàm privatìmque ex audacia jactitant, palam atque in publicum proferan-

ferantur. Aliud enim eſt coràm Paucis impunè blaterare; aliud coràm Univerſis rem ſeriò agi. Poſita in conſpectu Multitudinis veritas invenit patrocinium; pœnam temeritas. Id animadverſionis genus ut convellet malum quod irrepſit; ita Arti afferet peritiam, gravitatem, modeſtiam. Quia verò eo in ſitu oculos nobis miſerata ſui operis Natura collocavit, undè alienam deformitatem videamus, non æquè noſtram; ſiquid in eo, quod ſuadeo vindicari, ego ipſe peccavero; mihi primo lata lex eſto. Interea omne tuliſſe punctum videbor, ſi, quam trado literis, hiſtoriolâ medicâ, et cauſam meam ſatis aptè dixero; & exemplo profuero.

CUM

CUM Ægritudo & Curatio Philippi è nobili Rubeorum Gentè Patritij Neapolitani multâ animorum intentione nec sine ancipiti Medicorum famâ agitatę distractæque hunc inter Populum nuperrimè sint: operę pretium facturum me puto, si, tùm ipsius ægritudinis, tùm curationis historiam bonà fide atque ex ordine scriptam vulgavero. Unde rei veritas palàm atque in apertum producta provocet, vindicata tandèm à Partium studiis, ad potestatem libertatemque iudicii publici.

Hic annus à Christo nato MDCCXXVII. inconstantior quàm reliqui consueverunt, inęqualem perque temporum intervalla variabilem constitutionem in hoc Matritensi Cœlo protulit ab ipsà primâ hyeme, per ver totum, ad vsque æstatem ferè dimidiam.

diam. Pluviæ namque ſuccedebat Aquilonia tempeſtas : Aquiloniæ iterum Auſtrina, & pluvia. Sub finem menſis Aprilis, ac per initia Maji is calor ad viginti dies inexpectatò ingruit, qui vel ſummâ æſtate videri gravis potuiſſet. Reſtitit repentè calor ille; excepitque ſtatim conſtitutio pluvia; mox Aquilonia, quæ frequentior; alternante quandoque et Auſtrina. Non defuere inter hæc quaterni ſenique dies præter modum ferventiſsimi, inſequentibus noctibus frigidis, & penè hybernis : neque dies alii, quorum vniuſcujuſque terminis omnes anni viciſsitudines, hyemalem nempe de mane, veſpere, & nocte, vernam & autumnalem ad aliquot horas, ad aliquot æſtivam experiremur. Morbi exhinc varii excitati, pro varia & peculiari cujuſque humorum corporumque habitudine. Catharri præſertìm vagati ſunt, catharraleſque omne genus affectiones, tuſſeſque contumaciſsimæ; quibus Infantuli Puerulique præcipuè conflictati; & corpora, quę humoribus redundarent, & viſcerum glandu-

dularumque fibras flaccidiores haberent ac laxiores: præ cæteris Philippus, de quo institutus sermo est.

Hic validâ firmâque membrorum mole, procero liberalique corporis habitu, ab obeso quàm à tenui propior, cùm hyberna indumenta in verna (quod ratio temporis videbatur exposcere) & ferè æstiva mutasset, cumque vbi è lecto assurgebat, leviori indutus supparo, reseratis vndequaque fenestris auram frigidiusculam matutinam licentiùs captaret, interclusâ hinc ex habitu corporis transpiratione, experrectus est nono Kal. Quinctil. cum catharro haud sanè vulgari. Adjungebantur enim febris paulò minùs quàm acuta, quæ tamèn non excederet catharralem; dolor capitis multus cum gravedine, sive Coryzâ; sicca, inanis, & molesta admodùm tussis; atque à tussi vigiliæ. Accedebant lassitudo & languor membrorum; spiritus aliquanto gravior; hinc sitis multa, hinc cibi fastidium; lingua palatoque mucus albidus, sapor subamarus; urinæ sub principio ut

ſani hominis; ubi ab augmento ad ſtatum tendebat morbus, turbatiores imbutæque colore intenſiori, quales ferè per vniverſum morbi curſum perſeverarunt.

Inſolentior à comitatu ſymptomatum videbatur Affectio. Et ſuperiori anno non multò abſimilem paſſus erat, quam (vulgaribus auxilijs ad aliquot dies miniſtratis parùm proficientibus) miſſo ſanguine, ductâque alvo mox brevì & feliciter expedivi. Id idem in hâc ipſâ rebar maturiùs faciendum. Nam manifeſta ægrotantis corporis plenitudo, febris in acutiem proclivis, dolor capitis vix tolerabilis, ſpiritus offenſus, tuſsiſque acerbitas, quę de imminente vel Peripnheumoniâ vel hæmoptoe facerent haud levem ſuſpicionem, miſsionem ſanguinis ſuadebant. Cibi verò faſtidium, mucus amarorque oris; ipſaque in tanto tamque ſucculento corpore humorum copia monebant, opus eſſe purgatione, quâ illi à pulmonibus ad inteſtina aliquam partem diverterent, quàque ſimul abſtergeretur prima, quam vocant, regio; unde melior

de-

deindè chylosis transmitteretur in sanguinem. Nihilo tamèn minùs, & quia ipse aliquantò cautior timidiorque sum ad magna remedia, ut qui putem non esse festinantèr & temerè super alienæ vitę discrimine deliberandum; & quia etiam invaluit inter artis Medicę Imperitos (qui præconceptum animo habent stabilibus certisque legibus quasque morborum curationes comprehendi) vulgare illud præjudicium, in affectibus nempe catharralibus sanguinem venâ sectâ mittere, ut citare alvum, piaculum esse; distuli in pręsentiarum, quæ cæteroqui penè digito indicabantur, quoàd clarior necessitas, aut periculum, si quod subreperet, paterentur. Statutâ igitur vnâ victus ratione, monui, ut ne beneficio sudoris abuteretur. Pronior enim in sudorem erat, ut ferè plerique sunt succipleni homines: neque non erat anni tempus ad id idoneum: & sudore alioqui ipso solvi difflarique eiusmodi affectus non semel contigit.

Verumenimverò, cum febris nihil remit-

mitteret, quin immò intenderentur in dies omnia, ſitis, inappetentia, pervigilium, atque in primis dolor capitis, quod eouſque quaſſabatur ſub vi crudæ, diuque noctuque ferocientis tuſsis, ut ex Ægri ſenſu penè diffringeretur; tandem die morbi quartâ indulſi venæ ſectionem; quam ille, ſuperioris anni curationis probè memor, anxiè & repetitò flagitabat; quamque ego differre diutius ſine culpâ non poteram: intercipi enim in pulmone ſanguis, oppletis catharrali muco ipſius cellulis; ideoque aut ex morâ inflammatio, & fortè etiam ſuffocatio, aut canalis cujuſpiam ſanguiferi ſub ferinâ tuſsi diſruptio ſatis perſpicuè videbantur. Sanguis miſſus eſt è Saphenâ, habitâ revulſionis ratione, ad uncias ſeptem. Non largiori manu mittendum cenſui. Animus ſcilicet erat non vltra indicationem digredi. Quòd vererer, ne ex vlteriori imminutione ſanguinis minuerentur vires, quę anacatharſi, atque aliquandiu duraturæ tuſsi ſuffecturæ erant, & ſuppetias laturę pulmonibus; quorum de laxitate ac de-

bilitate jam tùm mihi inerat haud obſcura ſuſpicio. De humorum enim exhuberantià non erat profectò quod dubitarem. Conſilium hoc noſtrum caſus intercidit. Laxatis neſcio quo modo faſciis, quibus obligabatur inciſa vena, ad alias neſcioquas vncias profuſus adhuc ſanguis eſt. Verùm quid exinde mali? Inflammationis, ſuffocationis, diſruptionis metus ſublatus è veſtigiò eſt: evanuit ſtatim dolor capitis: ſitis mitigata eſt: corpori membriſque habilitas reſtituta: tuſsis facta explicatior multò ac liberior: febris biduo poſt intermiſit: gravedo fluxit expeditius; maturuit paucis poſt diebus; diſcuſſa denique ſensìm eſt. Suſceptæ indicationi reſpondit indicatum ferè ad amuſsim. Tametſi oris amarities, cibique faſtidium permanſerunt; & (quod erat cautius conſiderandum) ſpirandi quoque illa neſcioquę difficultas, uti cœperat, perſeverabat; quam cùm tuſsis intenderet, & vigilias conſequi neceſſe erat.

Hoc reſpirationis ſymptoma cum non

pari ratione atque alia remittere obſervarem, ſuſpicabar, ne magna aliqua alluvies jam tum ab initio defuſa confertim in pulmones foret: quę uti bronchia irritaret ad tuſsim, fluxumque vlteriorem per hanc accerſeret, ita eadem inferciens, & prægravans inſpirando expirandoque aëri faceret minus apta; eodemque tempore liberior itus redituſque per pulmones ſanguini aliqua ex parte interciperetur. Hinc dubitabam num ſatis miſſum ſanguinis eſſet; numvè iterum, & adhuc iterum, ſi è re eſſe videretur, mitti oporteret; quò & ſemel ſuſceptæ, effectuque non improbatæ indicationi tandèm ſatiſfieret, & materia ipſa fluxionis ſubtraheretur. Obverſabantur quidem animo alteræ ſanguinis miſsiones; obverſabantur quoque et dejectiones, quibus humores aliorſum ducerem. Verum non videbam, quod ſub initio morbi de facili perſuaderi Ægrotanti poſſent, aut mihi etiam ipſi, magna artis molimina. Cum creduli homines natura ſimus eorum quæ ſperamus: ſpe verò negligentes ex inſpera-

tò

tò mala occupant. Hinc factum, quod missis maioribus, sed debitis auxiliis, minoribus plus justo fidimus; sequuti communem vulgatamque methodum, quâ scilicet irritatio leniretur, cruda maturescerent, maturaque purgarentur per anacatharsim. Etsi temporarium & conditionale, non quidem perpetuum id ut foret, mecum ipse decreveram; & sicubi frustrari deliberatione me cognoscerem, quas nunc seponerem, indicationes tempestivas vel deinceps & præstò futuras. Quoniam autem in aliud issem consilium, emulsionem præscripsi ex amygdalis & seminibus melopeponum, cui papaveracea ad sesquidragmam adderentur: unde binis indicationibus, irritationi compescendę, maturandæque, quæ fluxerat jam & quæ flueret, materiæ prospiceretur. Cum verò de visceris atoniâ conjectura esset, eaque non à levibus argumentis; & lactea oleosaque ejusmodi, uti demulcendæ acrimoniæ sunt hebetandisque salium spiculis, ita vim quamdam emolliendi habent laxandique fi-

bras, monui, vt quam pręſcribebam emulſionem, ſemel tantùm in die ſumeret, ſeptem ſcilicet horis à prandio, tribus antè cœnam. Eâ enim ratione, quę per noctem graveſcere ſolent, incommoda occupari poſſe arbitrabar, inductâ per papaverina ſpiritibus quiete, lenitâ cauſâ irritationis, ac proinde tuſsi, coërcitoque hinc fluxionis impetu. Æger tamen, qui potionibus omne genus licentiùs atque ad luxuriam abutebatur, non ſemel uti ego præmonueram, ſed mane etiam, & quidem jejuno ſtomacho illam ipſam ingerebat. Quod ipſe ſanè nec juſſeram, nec probabam: ſed neque videbam, cur tantum inde mali timeri poſſet. Quod ſi auctus deinde morbus eſt, non magno huic facinori prudens Artis Medicus tribuat, ſed quęrat facti cauſam magis idoneam. Sperma etiam Cæti ſtatis diei horis ex juſculo capiebat. Interim lentè procedebat expectoratio, crudâ adhuc, difficili, tenacique materiâ; tuſsis eadem atque antea; ſpiritus difficultas viſa augeri; ſomnus interturbante tuſsi modicus.

Quatuor interjectis à sectâ venâ diebus lene pharmacum ministravi, quo minimum turbarentur humores; nonnulla horum fieret ad intestina diversio; & prima regio detergeretur. Malueram scilicet anacatharsim. Factum fermè est, licet minus quam volueram. Ter alvum posuit: purgatio inde perquàm pauca, & sanè minor quàm solet obtineri ab ejusmodi potiunculâ. Quod contigisse conjectabam, quia humores qui âd pectus proruerent, opus haberent fortiori stimulo, ut aliò provocarentur. Nihil à purgatiunculâ boni vel mali consequutum vidimus, omnibus eodem, quo prius, loco manentibus, præter oris amaritiem, & nauseam ad cibos, quæ successivè evanuerunt. Cogitabam de vomitu. Siquidem expurgandis pulmonibus nullum, quàm vomitus, validius auxilium. Sed erant quæ prohibere vomitum videbantur: Æger obæsus, collo brevis, & vomendo difficilis; notoria ipsius plenitudo; pectus plenum, & grave catharro; is crudus adhuc & tenax; tussis penè sicca &

ferina. Ne ſcilicet cuncta hæc aut ſtrangulatum, aut ſanguiferi alicuius canalis diſruptionem inter vomendum efficerent. Prę-terea inſtitutum ſemel vomitum (ſiquidem tentaſſem inſtituere) haud ſatis fore opinabar in tanto humorum apparatu. Repetitus autem, purgandi ergò quod de novo fluxiſſet, verendum prudenti Medico, puto, erat, ne debile jam viſcus faceret adhuc debilius forti, quam ſuo niſu excitat quaſſatione. Non abſimilis ratio ab opiatis deterrebat. Ne ſcilicet ſtupefactis virtute opii ſpiritibus fibriſque, ſubſtineretur expulſio coagmentatæ ſarcinę, unde Peripnheumonia accerſeretur et ſuffocatio. Pulmones autem graves, diſtentoſque alluvie eſſe, inducta iam Diſpnæa ſatis ſuperque ſignificabat. Qua propter cum neque vomitus neque narcotica tuta eſſe iudicarem, iis miſſis, iterum ad expectorationem intendi animum. Quod ut facilius ſuccederet, derivari partem aliquam materię fluentis à pulmonibus ad habitum corporis, utile viſum eſt: tentatoque prius univerſo corpore frictio-

ctione, & cucurbitulis, sudorem prolicere sum aggressus decocto papavere erratico; tertiâ nempe die post subductam alvum. Sudavit uberrimè semel atque iterum. Et credibile est, si potuisset hâc viâ progredi, non mediocre hinc juvamen fuisse consequuturum. Sed quoniam sentiebat sub sudore Æger se penè suffocari (quod ducentibus difficultèr spiritum maximè accidit) recedere ab incæpto necessum fuit. Id nihilominus assequuti inde sumus, ut posterâ die cocta iam materia expui cæperit: tametsi eodem ipso tempore febris recruduit, die nimirum morbi duodecimâ. Inconstans admodum contigerat per hos dies cœli constitutio. Frigidulæ noctes; dies modò nubili, modò pluvii, modò sereni & fervidi, modò ventosi; flante nunc Australi spiritu, nunc Boreali. Sed iam procedente mense Quintili cæperat æquabiliori passu fervere ęstas.

Maturescere & purgari magis in dies catharrus videbatur: copiosiorque quotidie sequebatur expectoratio. Sputum affu-

ſæ (ex doctrina Ricardi Mortonis) aquæ calidæ explicitis fibrillis ſupernatabat : unde nihil ei purulenti inerat, ut neque ineſſe debebat. Quod tamen purgabatur, haud ſanè purgabatur abſque iterato tuſsis conatu, totiuſque corporis concuſsione. Nedum enim tenax id erat & ponderoſum: quare multâ vi opus erat, ut foras propelleretur ; ſed pulmo forte totus (quod res ipſa monebat) infarctus, ſuâmet farcturâ & ſarcinâ impediebatur, quominus comprimi ipſe poſſet, atque ad propulſionem aſſurgere. Et eò iam ventum erat, auctâ paulatim diſpnæâ, ut lecto decumbere vix poſſet Æger, nec niſi ſedens ſomnum captaret, qualemcumque ſineret moleſtia tuſſis.

Victus ratio ad id temporis conſtituta fuerat tenuis quidem, non tenuiſsima. Qualem porrò expoſcerent affectus haud ita brevis futurus, & vires ægrotantis ; quæ licet integrę ſubſtinebantur, ne tamen labefactarentur diutino malo verendum erat. Vinum præterea oligoforum, parcâ admodum

dum manu per intercapedines permittebatur; quo nempe cibi largioris vices supplerentur, quoque stomacho consuleretur, & viscerum atoniæ.

Hæc ita se fermè habebant, cum die morbi decimaquinta alter Medicus in consortium curationis accersitus est. Persuaserant quippe tandem Concives quidam sui (qui Regias partes secuti à longo tempore hic degunt) viro alioqui cordato atque à multiplicitate Medicorum alieno, ut alterum hunc Medicum, nuperum Matriti hospitem, et ipsum conterraneum vellet admittere. Sic ipse Æger mihi retulerat.

Convenimus itaque ambo: aderatque maior Auscultatorum numerus, quàm ut unquam antea in Ægri domo consuesset. Ego sanè, qui satis novi res physico-medicas ut maximè impervias, multifariamque compositas, nedum non extemporaneâ oratione (quali vulgò utimur, si quando inter Medicos super ægrotantium rebus deliberamus) sed ne scripto quidem, sine multâ liturâ posse aptè atque accuratè compre-

 hen-

hendi : quique idem novi , Medicos , qui eo dicendi genere admirationem vulgi affectant , tędium ſtomachumque ſeverioribus Medicis taliter ineptiendo facere ſolitos : & ridiculum contra eſſe, ac prorſus futile longiorem quàm è re ſit , confercire ſermonem , quem Aſsidentes utpote artis ignari, non intelligant , contemnant Periti ; eo etiam nomine , quòd ubi de languore ac diſcrimine alieno agitur , perſequi dicendi gloriolam , importunum ſit : Ego, inquam, qui hæc novi , paucis me expedii , & ſummis penè labiis attigi , potius quàm dixi, quæ ad morbi , de quo agebamus, illiuſque cauſarum curationiſque conceptum ſufficere viſa ſunt. Id quod mihi ſolemne eſt in collegiis conſultatoriis. Siquidem civile mihi , honorificum ſupervenienti Medico duco , ſi ipſum ad rei captum haud multis opus habere ſignifico.

Alter autem ut ſecus atque ego informatus ad artem eſt , tanquam non ad me unum , ſed pro roſtris ad Populum dicturus eſſet , vocis tono declamatorio , totâque

que qualicumque pollet facundiâ rem aggressus, orationem assuit minimè brevem. Et inest Iuveni oris decor, & nescio-qui vocis dicendique lepos. Interìm quæ presso ego sermone retuleram, fusiori ille explicabat, suisque firmabat rationibus, atque Scriptorum sententiolis, quàs hàc illàc profundebat, sin minus fidelis, certè non cunctabundus: in iisque probandis, quæ ipse illucusque feceram, totus omnino fuit. Quamobrem eò iocundius mihi erat illius eloquium. Etsi non poteram non ægrius aliquanto ferre, quòd converso in me sermone, frequentiùs quàm opus erat interpellabat formulâ isthâc profecto prætoriâ; *Monitum te volo: Volo te monitum.* Quod tamen rebar, incogitanti magis, atque ex vitiosa loquendi consuetudine, quàm ex arrogantiâ, tam sæpè excidere. Ægerrimè verò tuli, ubi postremò addidit, Catharro, de quo sibi mecum conveniret, jam et Empyema superinductum, non quidem legitimum, sed certè nothum; idque à febri, quæ huius, non autem Catharri

comes est; ab addito asthmate; atque à profundiori tussi abundè probari. Quo sanè malo Empyemate res pessumdata universa est; laudesque, quibus me illatenùs ornaverat, perditę penitissumè. Ego scilicèt morbo curationem adhibebam, quem non cognoscerem; accersitoque homine, opus fuerat, quo meis tandem oculis excuteretur lippitudo. Idcirco semèl atque iterùm aggrediebar refellere quod de Empyemate dicebatur. Plurimum enim curationis intererat nos inter convenire, adesset, an abesset Empyema; quantumvis ille ajebat, eandem esse illiusmodi Catharri atque Empyematis curationem. Sed quia Vir in Cætu aderat, generis nobilitate, dignitate personæ, omnibusque fortunę nominibus undequaque spectabilis, qui cum satis colloquio datum crederet, pauca quædam, ut fieri solet, interloquebatur humanitèr, ne illius ego vocem importunior interciperem, propositum distuli; & soluta concio est plena Empyematis.

Ægrotus à nunciato novo vulgoque

ra-

tariùs audito morbo, non minus quàm ab importunâ Amicorum trepidatione tumultuque perturbatus, quid esset Empyema, unde & quomodo fieret, à me anxius petebat: quod ego uti ultrò docebam; ita pluribus rationibus illud negabam. Conflictabatur namque Viri animus; nec erat patiendum, ut præter morbum ipsum, qui satis angebat, spectro etiam affigeretur. Expectorabat tamen eò pacto, quo dictum est. Aquâ ex marrhubio decoctâ adjuvabatur anacatharsis. Verùm cùm ob amaritiem ferre hanc non posset, nunc sperma ceti ex jusculo, nunc oximel scilliticum syrupo de succo hederæ terrestris admixtum ac aquâ pectorali dilutum ex cochleari capiebat. Sub primâ nocte, novi, puto, Medici consilio, è superioribus hybernisque ædibus, quæ nimiùm sole incalescerent, in imas æstivasque descendit. Cæpit ibi graviorem ducere spiritum. Dubitabam, nùm ex ponderosiore, minusque agili ac libero eò in loco aëre; nùm quia ingravesceret morbus, vel suopte ingenio, vel supe-

redditâ novissimâ animi turbatione?

Biduo post Medici iterùm convenimus. Ipse datâ opportunitate sciscitatus ab Altero sum; Annè eadem ac antea ei foret de Empyemate sententia? de hoc enim nobiscum convenire non parum pertinere ad institutionem Curationis. Et, ajebam, si profectò non aliunde quàm à febri, spirandi difficultate, & profundâ tussi stabiliret Empyema, quibus positis stabilierat nudiustertius, non potiori jure inde Empyema, quàm aliud morbi genus fore stabiliendum. Etenim febrem Empyematis esse comitem, non Catharri, quid confutatione opus erat, cum omnis ratio, experientia omnis, omnis Scriptorum authoritas contrarium asserat; & rari incidant, si modò levissimos excipias, sine febri catharri? Difficilem verò spiritum, sive Asthma mallet vocari, quis uni Empyemati tribuat, cum Catharri non minus Suffocativi proprium & penè inseparabile sit; nec ullum plerumque sit Asthma, quod non catharrus aut faciat, aut comitetur, ut vulgô notum?

tum? Annè non paſsim quoque contingit Aſthma in omnibus ferè pectoris, partiumque ad reſpirationem facientium morbis, ſi aliquanto graviores ſint; quod videre eſt in anginâ, peripnheumonia, utrâque pleuritide: quodque item in gravius affectis corde, pericardio, mediaſtino, diaphragmate, hepate, liene; quin & pancreate, ventriculo, utero, ipſiſque muſculis imi ventris videre non raro eſt, quibus nullum ſub eſt Empyema: ut alias multas ejus ſymptomatis prætercam cauſas, nihilque dicam de Aſthmate vel in febribus intenſioribus quandoque obvio? Tuſsim denique altiùs atque ab imò pectoris excitatam annon ęquè in Empyemate, atque in difficiliori catharro, earumque pleriſque affectionum, quas modo enumeravimus, ſępius obſervamus? An non profundior eſſe debebat in eo, qui prę oculis erat affectu, ubi pleni, diſtentique muco pulmones, alienâ, eâque multiplici, ut purgarentur, ope indigerent? Cum igitur neque febris, neque ſpirandi difficultas, neque tuſsis profun-

funda quicquam afferrent peculiarius pro Empyemate conſtituendo, alia ſymptomata & ſigna erant apportanda, queis morbus propius connotaretur: rigor, puta, & horror, vellicatis identidem vibratiſque à contento pure membranis: gravitas & ſenſus ponderis in thoracis ſinubus: fluctuatio ibidem: ſputum purulentum: dolores in pectore vagi: aſcenſus veluti calidæ ad faciem uſque: pulſus intermittens in carpo, qui gravato lateri reſponderet; in utroque carpo, ſi ambo latera eſſent affecta: reclinato genua verſus corporis trunco præſens ſuffocatio; eadem hæc, ſi ſuper latus latenti Empyemati oppoſitum decumberetur: facilis ſupra latus affectum; facillimus reſupinato corpore ſupra ſpinam dorſi decubitus: ſyncopes frequentiores: ſudores liquativi, noctu potiſsimùm: dejectæ vires: maxillarum rubor, alterius, ſi in altero ſinu thoracis ſublateret Empyema; utriuſque, ſi in utroque ſinu: carnium marcor: oculorum cavitas: extremorum frigus: puſtulæ ſuper affectâ parte erumpentes; aut in

eâdem

eâdem tumor œdematoſus ; atque his ſimilia ; quorum pleraque , ſin minus omnia, in Empiicis obſervantur. Horum autem ſymptomatum , ſignorumque, de quo agimus , morbus præ ſe ferebat profectò nullum : cum interim quædam in ipſo his omninò contraria conſpicaremur. Non rigor ullus , aut horror animadverſus unquam eſt ; non gravitas , non pondus , non fluctuatio ex contentâ aliquâ materiâ in cavitate thoracis ; non purulentia ſputi ; non vagus ullus dolor in pectore , præter eum qui à ſpaſmo tuſsis crearetur ; non vaporis calidi aſcenſus ; non in carporum alterutro intermittentia pulſus , quin imò perpetua eius conſtantia : nedum nulla ſuffocatio, ſi pectus genua verſùs recurvaret, ſed (ex quo in lecto decubitus prohibebatur) nullus Ægro accommodatior , quàm hic, pòſitus; ità enim recurvatus , & reſpirabat liberius & dormiebat , ſi quid à tuſsi permitteretur; non animi ulla deliquia contigerunt ; non præceps ulla dejectio virium , quæ aliàs ſatis validæ, nec ſine admiratione, ad mortem

tem conſtiterunt : non genarum vitioſus rubor, ſed faciei carniſque color, atque habitus ferè idem atque anteà, quum ſanus eſſet: nullus corporis marcor; neque oculi intrò in orbitas conditi, neque aliter immutati: extrema uſque caluerunt: nulla puſtularum in parte eruptio: nullus ibidèm tumor œdematoſus. In tantâ caritate & ſolitudine ſignorum unum tamen, ſingulare illud quidem, ſed quod loco omnium eſſet, alter Medicus deprehenderat. Dictitabat enim obſervatam à ſe pulſus intermiſsionem; meque, pro eximiâ ſuâ urbanitate, oſcitantiæ redarguebat, qui pulſus minus accuratè explorarem. Cum contrà illiuſmodi intermiſsionem (quæ continua nec temporaria eſſe debet, cùm à continuâ & eâdem uſque cauſâ fiat) neque ego, qui intentis digitis ſcrutabar, neque Æger ipſe, neque alius quiſpiam (cuique enim modo ſenſum habeat facilis cognitu eſt) applicitâ carpis manu unquam reperimus. Nos ſcilicet, obducto digitis callo, plumbeos natura fecit; illum unum aranearum

tactu

tactu donatum voluit. Verùm ſigna Empyematis fruſtra quæreres, ubi nullum inerat Empyema: neque à nullâ cauſà deſiderandus erat effectus. Nulla præceſſerat inflammatio, quæ pertineret ad interiora thoracis: nulla effuſa vomica à ſuperficie pulmonum extimâ: nullus in pleurâ diſruptus abſceſſus: nulla ſuppurata Angina: nulla alia eiuſmodi cauſa aut præfuerat aut erat. Undenam igitur id Empyema? At eſſe, ajebat ille, Empyema nothum, non autem legitimum. Equidem noram differre Empyemata: vel propria ſtrictiorique græci vocabuli acceptione; ſicque dici Empyema quodcumque in ipſâ viſcerum ſubſtantiâ collectum pus: vel aliquanto latiori, quâ nempè in aliquâ è corporis cavitatibus ſuppuratio ſignificatur; ſicque capitis, thoracis, atque abdominis Empyemata loco differre: vel communiſsimâ, atque inter Medicos vulgatâ, cujus ratione collectio puris in cavo pectoris habetur tantùm pro Empyemate; ſicque excipi hoc ab aliis omnibus. Noveram et alias minu-

tulas Empyematum differentias: sed fateor, quæ nothum inter & legitimum tum afferebatur, inaudita eatenus mihi fuerat. Addebat eam ipsam differentiam tradi sigillatim à Daniele Sennerto. Tametsi ab hoc Authore nequicquam petas. Qui tradit utique binas, sed à dextro vel sinistro thoracis sinu, prout in hoc vel illo pus colligitur, desumit priorem; desumit alteram à pure ipso, prout scilicet vel benignius id vel acre & fœtidum est. Ast Alter quoque suam Empyematis differentiam à diversitate materiæ videbatur effingere. Quippequi diceret, illud factum non quidem è sanioso humore, sed è lympha catharrali, quæ à pulmonum substantia in thoracis cavum exsudaverat. Verum exsudare lympham, aut simile quidpiam è pulmonibus posse, ut crederent licitum Veteribus fuit, non item nobis, qui sciamus à Malpighio aliisque oculatioribus quàm Majores nostri observatoribus, interiora pulmonis firmissimæ substantię esse, utpoteque nihil aliud sint, quàm compago membranearum vesicularum à

Tracheâ productarum, & mirabile quoddam rete ex arteriis venisque intertextum ipsas vesiculas circumreptans. Tunicam autem eius extimam densissimę ac tenacissimę esse texturæ, qualem esse par erat, quæ continendo inspirato aëri ad ipsius pulmonis dilatationem aliosque usus provido naturæ consilio dicata sit. Et notissimum cęteroqui est, insufflatum in pulmones aërem, constrictâque subitâ ligaturâ tracheâ ut ne per hanc regeratur & inflari distendique eos, & sic inflatos distentosque ad exsiccationem usque servari, quin ullus ex iis detur exitus concluso aëri. Tantum abest, lympham catharralem tenacem &, ni fallor, crassiorem aëre, exsudare posse à pulmonibus. Neque non ita esse debuit. Errasset aliàs Natura imprudens, quæ cum viscus homini dederit, per quod facto loci compendio, universo vniversi corporis sanguini itus reditusque perennis futurus erat, quodque tùm ad excipiendum continendumque continuò aërem, tùm ad perpetui motus dilatationis & pressionis, tùm ad vocis, lo-

quelæ, clamoris, tuſsiſque uſus deſtinaverat, laxioris nihilominus, rarioriſque ſubſtantiæ illud feciſſet, percolandiſque quotidiè Empyematibus opportunum. Fatebar equidem Ægrotantis pulmonem pluribus è cauſis debilitatum; ſed non porrò eòuſque rimoſum eſſe, ut per ejus interſtitia ullus catharroſis purgamentis pateret diffluxus. Ubi enim tale quid uſpiam contigerit, quę retentio inſpirati aëris, quę reſpiratio, quanta vitæ dilatio futura ſit? Ut pro nihilo habeam quod obiter addebam, intra exiguum quindecim dierum ſpatium non adeò facilè fieri potuiſſe id Empyema, eò pacto quo dicebatur. Etenim quò factum tam brevì crederemus, non exſudaſſe humor roris ad inſtar, ſed effuſus ad inſtar imbris dicendus erat. Cum igitur Empyema etiam nothum ultimò aſſertum ipſâ partis texturâ, ipſâque naturæ neceſsitate difflatum eſſet, neque proprię ullę notę adeſſent, neque cauſæ ullæ præceſsiſſent, quæ ullum ejuſmodi affectum vel connotarent vel feciſſent; reliquum demum

mum atque huius loci est, ut demonstrem causas, signa, symptomata, cæterosque omnes, quos vidimus consequutos, effectus, uni CATHARRO SUFFOCATIVO speciatim congruere; illaque omnia huic relata rationibus suopte ingenio fluentibus explicari.

Id prius quàm exordiar, duo pręmittere opus habeo: *redundasse Ægrotum humoribus, & laborasse hunc eumdem debilitate ac flacciditate pulmonum.* Et profectò hominem natura subpinguem & succulentum, victu habitum plenissimo, gelidis omne genus potionibus avidius indulgentem, violentius exercitatum identidem, otio identidem diffluentem, humoribus hunc redundare citra omnem controversiam positum est. Quod ad fusius probandum supervacaneum foret plura congerere, cum omnibus qui illum noverint clarum sit. Quum verò Turmarum Prętorianarum Cohortis Italicę è Ductoribus (Exemptos vocant) unus idem esset à pluribus annis; ideòque ubi sui muneris vices ferrent, plu-

ra paſſuum millia nullâ datâ morâ laxatis equo habenis curſum currere teneretur; debilitari ac flacceſcere ipſius pulmones ſenſim ſenſimque in dies oportuerat. Quandoquidem qui ad latera citatiſsimi trijugalis currus æquè citato neque intermiſſo curreret curſu, aërem ab ipſius currus Trigariorumque impete ſectum ac retrò pulſum, ideòque denſiorem, unà cum commixto ſæpenumerò elevato pulvere, inſpirare continenti quaſi inſpiratione neceſſe erat. Facta vero hoc modo, taliumque inſpiratorum ingeſtione, uti celerius validiuſque quàm conſuetâ inflantur diſtenduntùrque pulmones; ita celerius quoque alternari expiratio debet, ac proinde reſpiratio fieri acceleratior. Quod certè non fit ſine anhelitu reſpirantis & labore partis. Cum non eadem inſpirationis ratio ſit, atque expirationis. Inſpirando patimur tantùm: agimus expirando; & quidem vehementiſsimè; ſi continenti confertæque inſpirationi reſpondere expirando æquè debeamus. Impetu, hæcinter, viqueelaſticâ confertim irruentis

tis inſpirati, ipſoque intermixti pulverulenti voluminis validiori momento inflari, dilatari, & juſto fortius diſtendi habet pulmonum compages, in obæſo præcipuè corpore, in quo humidiores ii ſunt & molliores. Quin & illud aliud ſub hoc violento rei ſitu conſequi neceſſariò debet incommodum, quòd & glandularum racemuli, qui non pauci per interiora pulmonum hinc inde deprehenſi à Malpighio ſunt, dilatentur iidem & plus ęquo laxentur expreſſà derivatâque in ipſorum folliculos è preſsis reductiſque ſanguineis ductibus majori, quàm conſueverit, lymphæ copiâ. Hoc ſæpius, atque per plures annos factum quùm fuerit, quidni humidior molliſque eo in Homine pulmonum fabrica debilitanda ſenſim fuit, ſuoque robore atque tono tandem dejicienda? Et erat ea fortaſſis à primâ ſui conformatione aliquatenus imbecillior; ſubinde verò negligentiori victus ratione, violentâque, uti dictum, equitatione in pejus diſpoſita. Addam et aliam cauſam hoc in loco minimè reticen-

dam.

dam. Dum eo pacto equitaret, una cum ipſo equo præcipitem pluries actum narrant, non ſine præſentiſsimo vitæ diſcrimine. Affectâ citatiſsimo in curſu, quemadmodum præmonſtravimus, reſpiratione, qui profectò ſub prȩcipiti tam ponderoſi corporis caſu non ulterior tumultus diſtractuſque in pulmonibus futurus erat ab inſpirato acervatìm diutiuſque detento aëre, à proruentibus ſubitariò trepidanterque ſpiritibus, à commoto inordinatius ſanguine? Harum autem cauſarum vis effectu ipſo conſtabat. Fluxionibus ab aliquot annis obnoxius Vir erat. Et anno ſuperiori à ſimili penè catharro malè admodum habuit. Siqua corporis pars morbo intus genito præ reliquis obſidetur, debiliorem eam vel à natura, vel à morbo eſſe jure dixeris. Si recidivus idem morbus eamdem illam deinceps exerceat, multò potiori jure dixeris. Id quod exemplis paſsim obviis, practiciſque obſervationibus abundè notum. Quemvis igitur mortalium re vel obiter penſitatâ admiſſurum in Ægro exiſtimo,

tan-

tanquam duo Postulata Geometrica, duo hæc, *humorum nempè multitudinem*, & *Pulmonum debilitatem.* Quibus admissis, omnia signa symptomata effectusque, quotquot Ægritudo præ se tulit; uni CATHARRO, quem diximus, utpote unicæ propriæque causæ, facillimum referre est.

Siquidem obæsius naturâ corpus, plenâ nutritum manu, plurimo humectatum potu, à consuetâ sui muneris exercitatione ab aliquo tempore tùnc fortè feriatum, transpirando, imò sudando facile, æstivis tùm solibus reseratum laxumque, miræ oppidò quantitatis, staterâ judice, esse oportebat quod transpirando dimitteret. Id ad cutis glandulas semel ablegatum damnatumque, ubi, adstrictis repentè cutaneis porulis, subitò coërcitum retrocesserit, haud mediocres intùs turbas debuit necessariò excitare, utpotequod & multùm copiâ esset, & rejectum ab utilibus humoribus recrementum. Cum verò sanguinis fluentum auctiori jam fermentatione

ſub ineunte æſtate haberetur; ab regreſſu tranſpirabilis purgamenti, æquè ac à ceſſatione ulterioris tranſpirationis alium neſcioquem præpoſterum motum, aliamque turbatiorem fermentandi rationem concipere neceſſè erat. Hincque inflammatoria quædam in eo diſpoſitio, & febris. Cumque novo hocce febrili motu fieri non poſſet, ut eterogeneæ particulæ tàm quæ ſeparari tranſpirando deſtiterant quàm quæ pridem ſeparatæ regreſſæ mox in communionem erant in homogeneas redigerentur omnes utpoteque numerum modumque excederent, factum, opinor, eſt ex legibus hydroſtatices, quod à reliquo fluento haud minima ipſarum vis in glandularum diverticula detruderetur. Quarum eas, quæ abreptæ ſunt ad caput (quò plurimum ſanguinis, & quidem purioris, ad elaborationem ſpirituum jugi fluvio fertur) ad meningum vicinarumque partium glandulas continuò divertiſſe crediderim; quia neque canaliculorum inibi exilitas, neque loci ibidem anguſtia ferrent illiuſmodi parti-

ticularum exhuberantiam admixtionemque: maximam autem earumdem partem (ſiquidem è ſuperiori inferiorique corpore refluâ lymphâ unà cum ſubeunte chylo & refluo ſanguine à dextro cordis ventriculo tota ſtatim effunditur in Pulmones) in hujus glandulas confeſtim confertimque proruiſſe haud citra rationem eſt, quarum tuniculas debiles laxas & fluxionibus obnoxias nuper oſtendimus. Hæc ita ſe habuiſſe, miniſtratum quoque per initia pharmacum haud obſcurè confirmaverat. Minimum purgatum ab eo eſt, & multò ſecùs quàm debuiſſet. Contigiſſe conjectandum erat; quia humores caput pectuſque impetentes indigerent irritamento validiori, quo ad inteſtina deducerentur. Dum remoraretur præ ſuo lentore & copiâ in diſtentis glandulis ſecreta hęc fæculentior lympha acredinem ex morâ aliquam certò contrahebat, quâ irritata oſcula glandularum excretoria retentam ipſam lympham funderent exprimerentque, eo fortè pacto, quo veſica urinaria acre lo-

lotium. Hincque fluxio ad nares, sive Coryza; similisque in pulmonum cellulas fluxus, sive Catharrus. Harum cellularum membranas, quippequæ exquisito sensu donatæ sint partim copiâ & pondere vitio partim & acrimoniâ catharralis latex cum vellicaret, spiritus per nervos in organa expirationis ad exturbandum quod hostile molestumque erat tumultuariò accersibat. Hincque spasmodica convulsio, ac tussis: quam consequi oportuisse vigilias quis non videt? Secretę verò stagnantique in glandulis lymphę novâ usque copiâ ponè subeunte, nedum ipsarum glandularum cavitates dilatari ampliari ad recipiendumque magis magisque disponi; sed expresso prius humori posterioris excretionem continentèr succedere necesse erat: Hincque fluxionis, &, respectu pulmonum, frequentioris tussis perseveratio. Et habet sanè lympha id peculiare sibi, commune tamen cum sanguine; ut quà diffluere semel cæperit, illàc confertim & successivè penè omnis incumbat;

quod

quod in hydrope aſcite ex ruptis lymphaticis; in ptyaliſmo ab hydrargyro, aliiſque etiam ſpontaneis ſalivationibus, puta, ſcorbuticis hypochondriaciſque; in diarrhæâ ipſâ, ni fallor, inque hipercatharſi obſervare eſt. Siccam autem, inanem, ideoque moleſtius laborioſam tuſsim non niſi glutino, tenacitati, atque altitudini materię fuiſſe tribuendam reor. Quemadmodum immanis illa cephalalgia copioſis, turgentibus, acribuſque humoribus danda eſſe videtur, qui ſcilicet ſub prępoſtero illo, quem memoravimus, confuſoque motu febrili, meninges annexaque vaſa copiâ turgentiâque diſtenderent, diſtentaque acrimoniâ ſuâ vellicarent, cauſaque forent atrocis illiuſmodi ſenſationis. Ab eodem præpoſtero confuſoque ſanguinis motu languorem laſsitudinemque illam corporis ſub primo morbi inſultu conjicere fortè licet, obrutis nimirum neque ſeparabilibus eâ in confuſione virium inſtrumentis ſpiritibus. Ab eodem fortè et ſitim; derivatâ nempe per eum motum, ab

hujus organo ad patentiores laxioresque capitis & pulmonum glandulas humiditate. Vidimus namque post phlebotomiam, unà cum febrili illo motu; hæc ipsa tanquam ab eo uno, quasi ab unâ causâ penderent, quà prius quà posterius, remisisse omnia. Cibi fastidium, oris amaritiem, linguę palatique mucorem à vitiatâ salivâ, tùm palatina tùm gastrica quæ à vitiosa interiori saliva seu lymphâ appelleret in palati & ventriculi glandulas; perinde ac ab aliqua in ipso ventriculo alimenti corruptione repetebam. Urinas verò per initia, ut sani hominis fuisse ęquum erat, etenim communicatum sanguini vitium nondum erat: Ab lymphâ autem alterata non alterari urinas, in praxi medicâ vulgare est. Ubi febris recruduit, cæpitque morbus facta rerum mutatione ad statum vergere, tunc à sanguine, utpotequòd alterationem, vitiumque in suâ crasi jam conceperat, purgamenta quam multa simul excerni opportunum erat. De difficili spiritu, præcipuo & maximè omnium considerabili symptomate,

mate, id ſanè putabam: quòd videlicet lympha, quę conferto jugique rivo in pulmonis veſiculas irrumperet irruperatque, de unâ in aliam (ſunt enim mutuò communicabiles) perque ſuperiores ſenſim ad inferiores, juxta gravium naturam, ad baſim uſque pervaderet; inibique congeſta & coagmentata pulmones ſuo pondere premeret deorſum, diſtenderetque verſus diaphragma: hæc preſsio diſtentioque cauſa eſſet, ut ne tantum aëris inſpirando exciperetur, quantum dilatandæ circumquaque pulmonum moli, propellendoque ritè ſanguini neceſſum foret; utque diaphragmatis, aliorumque expirationis inſtrumentorum feſtinatus licet omni conatu labor plurima ex parte fruſtraretur. Hincque ſanguinis lentior in pulmone progreſſus, & difficilis reſpiratio. Sed cur non putarem, ſi ipſi, qui à principio ad finem morbi ſubſecuti ſunt effectus ad rem hanc quomodolibet pertinentes, conceptui reſpondeant omnino ſinguli: neque aliunde ſi repetas, eos æquè facilè aut intelligas, aut explices?

Etenim ea ſpirandi difficultas augebatur in dies. Augeri debebat cùm eſſet anacatharſis longè impar fluxioni, & magis magiſque in dies inferciret catharrus pulmonum lobos. Cauſa irritans ex eo cum creſceret, increbreſcebat et tuſsis. Quam laborioſiorem quoque fieri, mirum non erat: ſiquidem, uti jam pridem debilium pulmonum tonus diſtentione à contento onere tuſsique vehementi & jugi, ita Diaphragmatis ſociorumque expirationis inſtrumentorum aſsiduo opere exercita attritaque virtus quotidie magis langueſceret oportebat. Addeſis, quod materia ſuapte naturâ ipſâque concretione gravis ab eadem diſtentione in cellulis arctius concluſa & preſſa, validiori & pluries repetito niſu opus erat, quò tandem foras exturbaretur; eâ potiſsimum, quæ in fundo & propè baſim aggeſta ab altiori loco per arctiora ſpatiola, de cellula in cellulam egeri atque efferri ſurſum habebat ad fauces uſque. Id quod ſpecialius patuit per declivia morbi tempora; quando minus quidem videbatur, quod ſupereſſet

ex-

expectorandum, sed ubi id fieret, nonnisi intercisο languido & in quo Æger penè deficeret, misero labore fiebat. Neque multò hinc procul investiganda ratio est profundioris, quæ videbatur, tussis. Etenim labefactato substantiæ pulmonum tono, materiâ ponderosâ in angustiis coactâ, inque profundo ex parte sitâ, laboriosum expectorationis opus (etsi concurrerent quâ possent et cetera organa) uni ferè diaphragmati erat peculiarius perficiendum. Exinde verò, quòd neque in latera (ut cæpit morbus in pejus ruere) neque supinus decumbere, neque erectâ sedere cervice Æger posset, nullumque haberet commodiorem positum, quàm si supra ventriculum & viscera abdominis reclinaretur, id fermè probatur, quod dictum hucusque est. Graves nimirum erant plurimo infarctu pulmones; qui ne nimiùm à concluso intus pondere distraherentur, opus habebant substrato naturalium viscerum substentaculo, quo super accommodatius recumberent; & unde diaphragmati etiam

 ali-

aliquid levaminis opiſque afferretur ad aſſiduum ultrò citròque violentum pulſum tolerantius ſubſtinendum utiliuſque continuandum ; hincque tùm reſpiratio , tùm expectoratio aliquatenus juvaretur. Nec ſanè ſperandum erat , quod in latera , ſupinuſve , jacere aut ſedere erectâ cervice Vir poſſet , cujus pulmo eâ ſarcinâ gravaretur. Ad latera enim ſi jaceret lobus lobo ſuperincumberet : ſi reſupinato corpore , gravis loborum moles concideret in ſemetipſam : ſi erectâ ſederet cervice, à duobus extremis pulmo univerſus diſtractus ut longitudine creſceret , ita decreſceret amplitudine : ac proinde à qualicumque ex his poſitu intercisio ſpiritus , remoratio ſanguinis , & ſuffocatio immineret. Quod à contrario manifeſtò conſtitit circa ultimos morbi vitæque dies ; quando maximam concluſæ materię partem exhauſtam longa anacatharſi credibile cum eſſet , et ſedebat erectâ aliquantiſper cervice , & reſupinato ſtratoque corpore ad aliquot momenta decumbebat , in latera verò pro libito.

Ate-

Atenim nonnulla diximus præpoſtero ordine; quæque prius erant dicenda, ad præſens omiſimus. Eſt tamen veniȩ locus. A difficili ſpiritu maximo univerſi morbi ſymptomate data opportunitas eſt, ut quȩ ad reſpirationem, tuſsim, expectorationem pertinent, naturâ proxima cum ſint, gratiâ ordinis non diſtarent; quando ſuus iis quoque ordo deberetur. Sed jam expedio quæ diſtuli: eaque etiam huius generis Catharro haud eſſe diſſona palam erit. Die morbi duodecima, quæ aliquot diebus ſiluerat, febris recruduit; cùm nempè ȩſtivus fervor inſtare magis, & ſputum rejici coctum cæperat. Cauſam inveſtigabam recidivæ, vel potius novæ huius febris. Exiſtimabam verò ab agitatiori aëris motu, non minus quàm forti tuſsis quaſſatione concitari agique vehementius potuiſſe ſpiritus influos: ad hoc à materiâ nunc demum coctâ (coctio autem iſtiuſmodi nihil ultra eſt, quàm catharralis lymphæ in bronchiorum veſiculis congeſtæ ſtagnantiſque corruptio quædam & putrefactio)

 ali-

aliquid halituum in præterlabentem per pulmones ſanguinem adſpiraſſe: quod huic admixtum, utpote fermentum eterogeneum, novam conſtituerit febri cauſam, ac deinceps pro perpetuo fomite eidem fuerit. Febris enim hęc per initia levius quidem ſe habuit; gradatim tamen exinde aucta ſub ſpecie putridę & ferè inflammatoriæ proxima ad uſque Ægrotantis interitum proſequuta eſt; quinimò, quum miſerum denique extinxit, abiit omninò in inflammatoriam. Creverat hęcinter eòuſque ſpirandi difficultas, ut, præter pręcordiorum anguſtias & anxietates ſtandique atque inambulandi impotentiam, decumbere nullo modo jam amplius poſſet, neque ullo ſitu ſe noctu diuque continere niſi ſedentem, adnixum cubitis, reclinatum ſuper ſtomachum atque abdomen. Factum hinc eſt, quòd pedes, poſt quinos ſenoſvè dies ejus poſitus, ad confinia uſque malleoli tumere viſi ſunt. Hi pedum tumores ſolent quidem in Aſthmatibus obſervari. Verùm in diuturnis paroxiſmis ſeri admodum,

dum, atque ad eorum ferè extrema. Quare si hoc symptoma difficili respirationi ortum referret suum, & ipsum erat symptoma Catharri, qui causâ erat anhælæ illiusmodi respirationis. Etenim positis à catharro respirationis impedimentis, remorari in pulmonibus sanguinem sequi simul debuit, quod cuique notum. Hoc in iis remorato, remorari par erat, qui pone sequeretur, pręcipue in pedibus; quippe qui excarnes cum sint præ reliquis membris & immobiles tùm tenerentur, neque motu suo qui cessaret, neque superadnitentium musculorum pressione ascensum sanguinis promoverent. Et aliàs constat ex liquorum statice, exserere hos in basi gravitatem suam: basim autem sanguinis in iis, qui stant vel sedent, esse potissimùm pedes. Quapropter inducta à detento premente sanguine venarum lymphaticorumque pedes circumrepentium tunicis distentione rariorique texturâ, opinari licebat in carnium tendinum ligamentorumque interstitia fieri ibi subtilioris liqui-

di expreſsionem. Hincque ſtagnatio, tumorque. Quia tamen tumor is maturius comparuit, quàm alias conſueverit, dubium erat, num ab aſthmate eſſet, num à diutino eomet poſitu, de quo dictum: ægrè nempè refluente humore ab inferioribus ad ſuperiora: accedente præſertim inęquali robore partis à ſimili tumore, ex relatu Ægrotantis, vel in ſtatu ſano ex quacumque datâ cauſâ ſæpius obſeſſæ ac debilitatę. Ad poſtremum nihil aliud fuiſſe morbum niſi Fluxionem Catharralem, à modo ipſo effectuque liquidum fit. Statim inter initia unà cum morbo cæpit ſpiritus neſcioquę gravitas, vix illa quidem ſenſilis, ſed tamen ſenſilis. Hoc verò ſymptoma, cui referres tunc temporis, niſi Fluxioni & Catharro, præſentibus coryzâ tuſsi ſignisque omnibus catharralibus, imò & cauſâ evidenti? Nec mediocris eſſe fluxio debuit, quæ, pręter cætera, tale id ſymptoma, quantumcumque leve, ſecum à principio ferret. Licet ſi *humorum multitudinis, pulmonumque* ad recipiendum *diſpoſitionis* reſpectus

ctus habeatur, minor ſperanda illa non erat. Creſcebat autem fluxio, infarctuſque pulmonum: creſcebat ſimul ſpiritûs gravitas. Ad ſummam, quo procedebat paſſu catharrus, eo & reſpiratio pediſequa. Hęc qui viderit, num pendere alteram ab altero dubitabit? Ubi tandem ferociente uſque tuſsi eò ventum eſt, ut pulmones omniaque ſpiritalia inſtrumenta ferè penitùs reſoluta ægrè durare operi laborique amplius poſſent; quidni reſpiratio tunc temporis non tam ex inferciente humore (qui exhauſtus longâ anacatharſi plurimâ ex parte eſſet) quàm ex organorum reſolutione penè omnimodâ miſerrimè ſe haberet: quod per ultima morbi tempora factum eſt?

En itaque, quod à cauſis æquè ac effectibus duximus, niſi fallor, ad evidentiam; ſigna & ſymptomata, quæ & qualiacumque præ ſe tulit ægritudo, uni quem diximus, CATHARRO, utpote unicæ proprięque omnium cauſæ amuſsim congruere. Id quod eramus polliciti. Quod Sicui, quæ nos pro noſtro modulo explicuimus, libeat

ali-

aliter explicare (ut in rebus physicis sua cuique sunt sensa) liberum esto. Satis nobis est demonstrasse ea omnia sub certissimis *humorum multitudinis*, & *pulmonum atoniæ* conditionibus, non alium morbum, præter illiusmodi CATHARRUM potuisse ponere. Quocirca cum non causę, non signa & symptomata Empyematis adessent : quæ verò adessent nullo modo Empyemati, Catharro omnifariam convenirent ; non erat cur supra Catharrum proferretur in medium Empyema. Quamvis, qui illud jactitaverat, alter Medicus visus deinceps est , re fortè accuratius perspectâ , à sententiâ tacitô recessisse. Quod nisi ita erat, qui summum jus curationis ęgrotantisque corporis sibi adsciverat , turpissimè porrò peccasset paracenthesi prætermissâ. Fuisset enim ridiculè ineptientis Medici , qui latere intùs Empyema seriò crederet , alia quęcumque deliberatio , quâ manuum opera excluderetur. Neque spes aliunde erat adeò crassæ , ponderosæ , tenacisque materię ab imis thoracis sinubus, per interjectam eamque

que languefcentem pulmonum fubftantiam vi tufsis atque anacatharfi foras educendæ, antequam Æger in labore deficeret. Atat Paracenthefim inftituerit. Quod, quæfo, laterum aggrederetur prius, an dextrum, an finiftrum, an utrumque? Si nihilo tamen minus repertum Empyema nufquam foret, quid tum faceret? Id fermè, reor, quod folent Medici fuis nimium creduli phantafmatibus ab fomniatis Empyematibus fæpe fæpius ludibrio habiti. Non enim adeò vulgaria funt Empyemata, uti quidam vel fibi, vel imperitioribus perfuadent: fi modo ea exceperis, quæ à vulneribus penetrantibus, à gravibus contufionibus, & quędam admodùm rara, quæ five ab anginâ fuppuratâ, five à rupto abfceffu in fuperficie pectoris cavâ, extimâve pulmonum quandoque refultant. Id autem quod dicimus, in promptu erat, unde poffet confirmari, Ægri, ubi tandem obiit, fecto cadavere. Et miror, fuiffe ab Altero id prætermiffum; cum fuum effet, fiquid aliud maximè, iis quę ipfe afferebat, ne-

gabam ego, authopſiâ (eiuſmodi in rebus nodi vindice) fidem quęrere.

Verùm operam contulimus nimis longam demonſtrandis iis, quę erant meridianâ luce clariora. Revertamur modò ad Morbi & Curationis ordinem, unde primò digreſsi ſumus. Poſtquam enim quę inter nos erat ſuper Empyemate diſputatio, relicta potius quàm abſoluta eſt, ait Alter, adeſſetne illud an contrà, in eâdem quam ego inſtitueram Curatione, adjuvandâ nimirum anacatharſi, eſſe utique perſeverandum. Putabatque nos dumtaxat quoad prognoſim, non autem curandi methodo diſcrepare. Quapropter integra ſtetit, qualem ipſe conceperam, indicatio: nihil ei additum, nihil demptum. Intereà Æger pejus habere. Qui triduo antè, quum in ſuperioribus ædibus adhuc degeret, ſtare poterat; hàc illàc inambulare; in lectulo, ſin minus ſomnum capere, corpus ſaltem ſternere ad libitum; qui crebrò quidem, ſed non uſqueadeò anhelus ſpirabat, tuſsiebatque; qui expectorabat aliquan-

quantò liberius; qui in inferiores ædes expeditè & nemine adnitente, pedibus descendit suis: Huic eidem triduo post adventum novi Medici, neque stare, neque progredi, neque decumbere momento temporis in lecto dabatur: respiratio multò magis anhela, expectoratio imminuta aut erat, aut videbatur. Quænam tam subitæ decidentiæ causa? An morbus, qui per suos gradus ad statum pervenerat: an læsus adhuc magis à mutato loco vitalis mechanismus: an concepto vitæ periculo, spirituum sanguinisque reductio, & quædam veluti refrigeratio? Multo certè cum conamine & minus expectorabat, quàm opus erat, prægravatis uberiori fluxu pulmonibus. Visum Alteri est (ut serius quàm ego & multo vespere ad Ægrum reversus est, quo ferme tempore solent istiusmodi affectus ingravescere) ut præter eclegma, quod præscriptum ad anacatharsim per me fuerat, olei amygdalini paululum caperet. Id laxatis membranis, ut spasmo contractæ tum fortè tenebantur, satis contulit. Iteratum non

idem præſtitit. Et olea mera, ubi abſint fibrarum contracturæ, non ſemper utilia ſunt: minùs, ubi de illarum certo in viſcere laxitate jam clara aderant argumenta. Quare in ſententiâ fui, ut parciùs exhiberentur: cum eſſet habenda ratio et ſtomachi, qui aliàs egregiè conſtabat, & conſtitit ad mortem uſque.

Quum horis pomeridianis Ægrum reviſerem, reperi Sacramenta ex Sanctæ Eccleſię ritu tanquam proximè morituro apparari. Quod fieri quis improbaret? Improbabam nihilominus maturius id fieri, quàm ex Eccleſię conſilio. Poſſe quidem improvisò præfocari Hominem; ſed nulla extare eius rei indicia: poſſe & alia contingere mala, quæ à tuſſi conceptâque materiâ fieri quandoque ſolent; Hęmoptoen, diſrupto ductu aliquo ſanguineo; Phtyſin, excitato ulcere in pulmone; hujus tandem omnimodam atoniam. Sed iſthæc omnia ad id temporis longè abeſſe: ſi autem adforent, Sacramentis vel multoties adminiſtrandis tempus ſine dubio datura. Curre-

re cæteroqui tunc morbum, ſive ex ſuæ naturæ ordine, ſive ex culpâ medicinę, ſtadium ſuum. Eſſetnè is bene, an contrà deſiturus: eſſetnè lethale quicpiam ante tempus interceſſurum? id quidem in poſterum monitum iri. Morbum nihil prętereà eſſe niſi Fluxionem Catharralem: ab eâ cæpiſſe; ab eâ perſeverare. Periculoſum fieri à debilitate pulmonum, qui facilè reciperent quod flueret: quod verò flueret, ſupra modum eſſe in corpore adeò humoribus redundante. Binis hiſce conditionibus *laxà viſceris conſtitutione, humorumque copia* ſublatis, futurum illum fuiſſe ſimplicem catharrum nullius curationis fortè indigum. Reſiſtente enim Partis robore, minus intrò receptum; receptum ipſo eodem robore facilè & brevì tuſsi rejectum; reliquum vel ad corporis habitum, vel ad renes aut alvum ſecretum fuiſſet. Si ſciri tunc aliquâ arte poſſet, qualis quantaque eſſet pulmonum debilitas; quantaque, & quouſque duratura eſſet humorum fluxio, ex reciprocâ unius ad alteram ratione, futu-

rum

rum fortaſsis, ut aliqua pro occupando rei exitu iniretur ſupputatio. Verùm cùm deſtitueremur eâ menſurâ, differendum judicium ad ſeptiduum adhuc vel octiduum. Etenim ſi intra eum terminum, procedente anacatharſi (quandoquidem in eà conſtiteramus) nihil vel parùm profectum eſſet, tunc certiori judicio futurum locum. Equidem hæc ſciſcitanti Ægro non ſemel dixi: hæc ipſa et Aliis pluribus, qui tunc temporis me poſcebant, quidnam ſentirem ipſe de ſtatu Ægri.

Nocte ſequenti laborioſè habuit, etſi non pejus. Manè nihilo differre reperi à die pręcedenti: expectorabat ſatis, multo licèt cum labore. Huic labori alius accedebat. Teſtamentum fecit, & obſignavit. Ad veſperam, ut reverti, percontabantur Adſtantes, Num Sacramentum quoque Unctionis eſſet adminiſtrandum? dixiſſe namque Alterum, quum circa meridiem inde diſceſſerat, ſigna ſi neſcioquę apparerent, ut ne differrent, ſed veſtigio temporis adminiſtrarent. Equidem poſt procuratum

tum Viaticum, non repugnabam. Cæterùm causam tam anxię sollicitudinis, aut quęnam is expectare posset signa non videbam: Sum quippe visu hebes, ut vix videam quę sunt; videre quæ nusquam sunt, frustra est quòd laborem. At superventu alterius Medici hæsitatio omnis sublata est. Consolabatur is languentem, jubebatque benè sperare. Interea tamen, nullis amplius, quoniam opinione tardius adventarent, expectatis signis, nulloque adhibito verborum ambitu, ut extremâ unctione se muniret suadebat. Luxit hoc in loco Viri firmitas & Religio. Excepit quod nudis adeò verbis annunciabatur, ut sanè decebat virum fortem, securumque Evangelicę Veritatis. Sacerdotes prætereà accersiti sunt, qui moribundo, ut mos est, per noctem advigilarent. Civilibus, futuræque vitæ curis biduum hoc datum est, curatione ferè intermissâ. Quæ autem curationis ratio, quis ordo, quis usus futurus erat in tanta rerum turbatione? Postquam è cubiculo Ægrotantis egreſsi sumus, Alter è circun-

cunſtantium coronâ ad me accedentem converſus; *Jam*, inquit, *conclamatum eſt de Homine.* Cum ego non ante tempus deſperare me reſpondiſſem; penſitare ille ſymptomatum magnitudinem: quæ ſicubi afforet ſpei locus fruſtra daretur. Et poſtremò intellexi: quæ tantorum motuum origo erat. Deceptus ſcilicet ille fuerat à gravitate ſymptomatum. Sed ubi de læſa reſpiratione res eſt, levia nequicquam ſperes; gravia ſunt omnia. Si quid muci paulò tenacius hæreat in limine laryngis, ut epiglottidem aut ſuſpendat aut premat, ſubitariâ tuſsi præfocamur. Eodem in diſcrimine conſtituimur; ſi aquę guttula inter bibendum in tracheam deviet. Infantes, Puerulique ſæpenumerò periclitantur non majori de cauſa, quàm quòd à tuſsi quæ mota ſint neſciunt excreare. Quamobrem in affectâ reſpiratione, non tam ſymptomatum, quàm cauſarum conferre rationes, periti Medici eſt. Cauſa Aſthmatis, ſive manifeſti ſive occulti, gravior, puto, eſt, quàm aquæ guttu-

la in tracheam diversa. Defatigatos nihilominus tussi, qui illo affliguntur, inediâ, pervigilio, totius corporis languore, anxios suspiriososque eo in agone ad plures dies, imò et menses perdurare, notum vulgò est; similique paroxismo sæpesæpiùs tentatos conflictatosque ad multos annos, quandoque ad senectam, vitam protrahere. In nostro quidem Ægro nescioquę peculiarius spectanda erant; unde, si minùs benè cederent, multa intercessura mala timeri poterant. Ast iis, quæ in posterùm timentur, in posterum providendum; ne fortè, qui futurorum se venditat prævisorem, cæcutire in præsentibus deprehendatur.

Administratis Sacramentis: Ægro pro mortuo habito; mœror domi, & silentium; tacitæ indignationes; secretę obmurmurationes. Vulgatum illicò ubique locorum est, in triviis, in foro, in privatorum domiciliis, in prętorio, jugulatum à me Hominem misso sanguine, subductâ pharmaco alvo, datis emulsionibus. Neque

ægritudinem dignovisse me, neque pro ratione curasse. Fuisse illum vel sine Ecclesię præsidiis per me decessurum, nisi advocato Altero provisum contrà fuisset. Esseque eumdem me illucusque bardum imperitumque, ut ipsam Sacramentorum procurationem tanquam intempestivam & præproperam improbassem; tunc porrò cùm Æger mittebat animam. Hęc quidem pręcones laudum mearum, iidemque rerum medicarum idonei judices palam & publicitùs prędicabant. Quos tamen absolvebat ipse error, quo decepti, seu potius persuasi tenebantur. Quis enim aliàs existimet, adeò illos sui, suæque honestatis oblitos, ut nisi pro certo crederent quod vulgabant, alienam famam, quantulacumque ea sit, eo modo distrahere non puduisset?

Æger nihilominus noctem haud habuit deteriorem. Tussiit non sine expectoratione: dormiit pauxillum. Interdiu (quippe animum recollegerat, cui confirmando ego in primis adnitebar) expeditius expecto-

ctorabat. Ad id contulisse et suum symbolum, creditum est syrupum de Peto mixtum oximelliti scillitico, quem capiebat ex præscripto alterius Medici. Hic qui de vitâ Ægrotantis paulò antè penitus desperaverat, ubi vivere adhuc atque abire in melius animadvertit, curationis summam paulatim nunc sibi asciscere. Tumere pedes jam cęperant. Id sibi etiam sano contingere Vir monebat. Multò magis modò contingere ęquum erat, uno in situ sedenti immotoque per plures dies. Attamen cùm copia humorum certò adesset & respiratio anhela, quam illud symptoma (etsi revera tardiusculè) sequi assolet, non videbatur ea res incuriosè prętereunda. Posthæc ego, qui utique verebar, ne diuturnæ tussi duraturi essent pulmones, avertendam, quoad liceret, tussis causam existimabam. Adurentia idcirco, quę pridem proposueram, iterum proponebam, sive scapulis applicanda, sive ubicumque libitum foret. Item diureticas medicinas, quæ eòdem respicerent, citâ urinâ. Hæ admissę: vesicantia

ne-

neglecta ſunt ; abnuente etiam Ægroto ipſo, qui dolores reformidaret; metueretque, ne excitata ulcera poſitum cæteraſque moleſtias, alioqui ſatis difficiles, efficerent adhuc difficiliores. Nocte alterâ cum non opus eſſe Sacerdotibus excubitoribus palàm foret, operâ ii ſuâ egregiè fruſtrati, dormitum dimiſsi ſunt. Quę conſequuta eſt, die diætam (uti vocant) lacteam, miſſis omnibus, Alter inſtituit, me inconſulto; præſcripſeratque, ut caprillum ad ſeſquiunciam ſumeret ſingulis horis. Hæc nova deliberatio adlubebat quidem, utpote quæ parùm abluderet ab eâ, quâ ego emulſiones pridem præſcripſeram. Lac enim conceptos in ſanguine ſpiritibuſque motus mulcere ſeroſis particulis; butyraceis verò tumultuoſa ſalia hebetare, tuſsimque lenire aptum erat. Verùm metuendum contrà erat, ne ſub febris haud ſanè mediocri ebullitione, quâ vitioſa pravaque fermenta in primarum digeſtionum officinas dimittuntur, lac vel concreſceret, vel aceſceret; hincque ſanguis acrior fieret,
quò

quò ſubinde febris ipſa, unâque irritatio, ac tuſsis intenderentur. Neque à lacte caprillo, utpotequod ſuapte naturâ tenue minuſque nutritivum eſt, ad eum modum ſpeciatim ſumpto, ſatis nutritionis ſperari poterat; quę alias in longis morbis debet eſſe aliquantò plenior. Opus præterea nobis tunc erat alimento ſatis ſpirituoſo, & quo vires æquè atque fibræ reficerentur. Id experientiâ ipſâ confirmabatur; cum Æger per eam diem languidius pejuſque manifeſtò haberet. Quapropter nunciarent Alteri meo nomine, vellet ſtatâ horà convenire, quò ſuper hâc re quod magis ex uſu eſſet diſpiceremus: noluiſſe me eò inſcio movere quicquam. Statuta hora eſt. Incaſſum expectabam: Obtendebantur negotia neſcioquæ multa. Manè iterum expectabam: non convenit. Verba mihi dari opinabar. Lac tamen amotum eſt ab authore ipſo. Reverſum ad priſtinum.

Lacteam hanc ephemeram diætam excepit *Spiritus viridis æris compoſitus*. Hoc remedium, cui ſpes curationis univerſa

com-

commendabatur, majori cum rumore ut promeretur in usum, perfici in Officinâ Regia curatum est. Per eam quam retulimus rerum trepidationem, ipsa etiam natura esse oblita sui muneris visa est. Alvus quartâ jam die supprimebatur, quę singulis ferè diebus antea dejiceret. Id bonum Alteri; quippe expectorationi non nociturum: Mihi non item; quippe difficilior inde spiratus. Immisso suppositorio dejecit non sine levamine: fœces figuratæ erant, probique coloris. Quia verò de diureticis conveneramus, præscribebam ego decoctum ligni Guajaci, Sassafrasiique cum modica glycyrrhizâ, in quo, statim ac ab igne removeretur, millepedes furno exsiccati noduloque inclusi affunderentur, quoad refrigeret. Id enim nedùm potui, pellendæque urinę, verum etiam expectorationi, febri, & stomacho utile videbatur. Alter, qui pręter opinionem cæperat vereri jam, ut Æger evaderet, quandoquidem illusus pręsagio esset, restitutionis curationisque gloriam tribui sibi nunc affectabat. Nec deerant

rant fortaſsè, qui id ut faceret hortarentur, reputantes ex uſu Ægri id futurum. Et fortè Æger ipſe conſentiebat, quem in aliquam mei diffidentiam adductum tandem credibile erat; cùm ſatis interveniret obtrectatorum: facilèque cęteroqui eſt perſuadere dolentem, injecto ſimul mortis metu. Idcircò quæcumque à me conſulerentur, aut fierent, rejiciebat Alter: clanculum quidem primis à ſe accerſito diebus, & aliquali cum pudore; deinde verò apertiſsimè. Quin ut liberius, omni remoto arbitro, honeſtiuſque, me abſente, id poſſet, diverſà atque ego accedebat horâ. Ea partim hinc inde reſcibam, partim oculis ſpectabam meis. Neque proinde me abſtinui ab domo Ægri, qui liberalis minimèque levis ingenii cum eſſet, & amico me animo excipiebat, & nihil me clàm, aut non monito faciebat. Maximè quod nec futuram eam patientiam infructuoſam mihi ſperabam; neque non lucro apponendum rebar, ſiquid in ejus morbi curatione addiſcerem, & ſcripto, nè memo-
riâ

tiâ dilaberetur, (quod fermè facio) adnotarem.

Triumphalis igitur ille *Spiritus* apportatus est, quo morbus profligaretur. Excitabatur eò sumpto vividior tussis, & sequebatur expectoratio; quod ab omni alio irritamento fit. Etsi non contemno remedium. Adipe & unguentis, quod ab initio multus commendaverat, inungebat circumquaque thoracem, magnam inde sibi pollicitus utilitatem. Victus rationem (quæ ego peccaveram fortè emendaturus) immutabat. Hodie ut per singulas horas; postridie, ut per quaternas; perendie (quia adhucdum non bene succedere videbatur) ut per senas horas tribueretur alimentum. Quòd jusculis nimis diu nutriretur, permittebat aliquid cibi solidioris: mox quia difficilè ferret, subtrahebat. Adjuvabat iterum expectorationem (in qua unâ stabilis, totusque erat) exhibità identidem calidâ. Frigidula etiam, ex ipsius Ægri experimento, & quodcumque œsophagum deliniret dilueretque, idem præstabat. Addebat

Looch

Looch ſanum de pulmone vulpis, et Syrupum de Eriſimo. Tuſsi defatigatum laſſumque lotis naribus temporibuſque nunc ſpiritu vini anthoſato, nunc aceto acerrimo recreabat. Actuoſa profectò & verſatilis medicina; & quâ eliceret adſpectantium admirationem! Sed unam eamdemque urgere perpetuò indicationem, neſcioquid empyricum, dubito, eſt. Varii eſſe ſolent morborum motus, quibus ſuas Medicus indicationes aut variet, aut moderetur accommodetque: qui probè ſpectandi intelligendique ſunt: quę quidem res non eſt ita facilis, ut neceſſaria. Habenda quoque ratio eſt et cauſarum; quæ continentes ipſæ cum ſint, morbum ſi continuent: ſi ceſſaturæ ſpontè ſint prius, quàm ægri virtus. Habenda ratio et ſymptomatum: ſiquæ principem quandoque morbum velocitate prævertant: aut in alterius ſpeciei morbum degeneraverint. Habenda ratio denique et loci quem morbus occupat, ſiquem occupat; plurimum namque hoc refert: Ut nihil dicam de aliis pluribus, quæ poſita

 ſunt

ſunt ultra Medici poteſtatem. Hæc porrò cuilibet Medicorum nota cum ſint, curanti Iuveni ignota eſſe quis dixerit? Attamen integra præterierunt prope omnia. Et ſane ſunt, qui in unum totis intentis nervis, à cæteris ſingulis abſtrahuntur: ſuntque alii, qui præſumptâ ſemel vel confidentiâ, vel deſperatione fiunt negligentiores. Quâ certè re prudentiores Medici difficilè falluntur; quippe quibus in judiciis artis parùm certi plerumque ineſſe multiplici experientiâ compertum ſit. Illiuſmodi autem febris erat adeò pro nihilo habenda: debuitne incuriosè pręteriri, ut factum eſt? Nonne erat conſiderandum, num peculiaris morbus ea eſſet, diſtinctuſque à pectoris morbo? numquid ea huic conferret; quæque ab initio hujus videretur effectus, deinde hujus cauſa mutuo facta eſſet, ut hic ab illâ penderet? Nonnè ſpectandi erant illius motus? Nonnè connotari quidpiam ſuſpicandum erat à ſanguinis è naribus ſtillicidio, quod ter quatervè diverſis utique temporibus tentaſſe naturam vidimus? Annon

in-

inquirendum quoque erat, undenam esset, quòd ritè procedente ad octiduum & amplius anacatharsi, exhaustoque plurimâ ex parte muco quo pulmones obsidebantur, novus tamen modò minùs modò magis usque manaret; uti palam erat ab ipsis expectoratione tussique, quæ licèt diminutæ, nihilominùs perdurabant? Neque erat non observandum, quòd etsi minus gravari pulmones conjici tunc poterat, creber tamen anhelusque spiritus adhuc traheretur. Dispiciendum et erat, quare, cum tussis non adeò frequens esset ac anteà, laboriosior quàm antea nihilominus Ægro esset? Bis præterea contigit, postquam pulmones depleti expectorando visi sunt, quòd suppressâ per biduum alvo major, quàm per id temporis soleret, fluxio ad pectus sequuta sit; minueretur contrà, ubi alvus iterùm laxabatur: An id ipsum non erat sedulò providendum? His similibusque neglectis, qualis, quæso, poterat esse curatio? His contrà, accuratiùs aliquantò perspectis non in unâ profectò anacatharsi

Medicus institisset; sed priori alias, reor, adscivisset indicationes; aut illâ prorsus relictâ, provocasset ad aliam.

Equidem, quamvis curationem subreptam mihi delatam Alteri, videbam; ideoque minimùm de eâ deberem esse sollicitus; nihilo tamen minùs, quò veteri, quæ mihi cum Ægro intercedebat, necessitudini meæque fidei satisfacerem, haud potui, quin nonnulla animadverterem ad ipsius bonum; cui perinde à morbo timebam, atque à factiosa curandi ratione. Itaque, quemadmodum conjectabam (quod dictum superius est) in parte affectà contentisque ejus focum fomitemque febris à primo esse, inde scilicet inquinato sanguine; ita fieri posse putabam, ab inquinato sic sanguine digestiva inquinari fermenta; unde vitiatis palati ventriculi hepatis pancreatis lymphaticorumque succis vitiaretur et chylus; qui sanguini jam degeneri per thoracicum advectus, alteram illi prȩter naturam ebulliendi causam afferret: hincque à binis veluti terminis reciproca intensio

febris & continuitas. Verebar item, ne quod vi febrilis ebullitionis despumabatur è sanguine, plurimum rueret in pulmonum cellulas (ut solet in partes debiliores) laxis nempe dilatatisque pulmonalium glandularum tuniculis, illucque humorum fluxu converso; unde febris, quæ à catharro efficeretur, fieret ipsa mox mutuâ vice catharro causa & perennitas. Timebam præterea, ne sic affectis pulmonibus, sanguinis per eos cursus catenùsque tandem præpediretur, ut visceris inflammatio succederet. Et aderant timoris argumenta, tùm præfocata respiratio, tùm sanguinis per nares eruptio; aliò nempe divertente, facienteque impetum sanguine, cujus regressus progressusque liber ad pulmonis limina remoraretur. Idcircò occurrendum febri; sanguinis ac fermentorum vitia vel tollenda, vel corrigenda; viscerisque tono unà providendum existimabam. Pro his, quoad liceret, obtinendis ministrari suadebam, qui vulgò solent, ex aprugno dente & lucii mandibula pulveres, commixto

nitro,

nitro. Non tâm quia multùm fiderem his præſidiis, quàm ut Medicus (cui cæteroqui eſt medicamentorum mirè locuples promptuarium) intelligeret, quod mihi videbatur faciendum eſſe. Simul quò pectori proſpiceretur, mandabam, ut flores ſulphuris ad denariolum primo mane ſumeret ex ovo ſorbili: ſub veſpere verò pilulas balſamicas ex deſcriptione Mortonis ad alterum denarium. Nihil ex iis factum eſt: prout ab Ægro ipſo eiuſque Adminiſtris poſtea reſcivi: Vel quia quorſum ego tenderem Alter non videret; vel quia progrediendum cenſeret quâ viâ cæperat; vel eâ potiſsimum ratione, quòd ipſe mandaveram. Unum vix impetratum: ut compoſitis ſuo marte pilulis viſceri proſpexerit, amotis Mortonianis ut plebejis & uſu vilibus. Aliud mox interceſsit oppidò lepidiſſimum. Gelatinam ex cornu cervi, quâ fieri arte aſſolet, cùm ego utilem judicaſſem, ſingulis indicationibus accommodam nulli contrariam, comminatus Alter Ægrotanti eſt (ſic mihi narrarunt) futurum, ſi

eam ſumeret, manifeſtam in perniciem ut ſe conjiceret. Rebatur, opinor, quam glutinoſam in patinâ conſpicabatur, ſuffecturam materiam catharro fore. Verùm Chymici id viderint; quibus notum, quàm multum glutinis ab cervino cornu aliiſque animalium partibus extremis igne proliciant. Quoniam verò ſcitu facile non erat quandiù fluxio, quandiù tuſsis & expectorandi neceſsitas eſſent duraturæ; pluraque ab iis & gravia mala conſequerentur (nam præter corporis ſuſpirioſam quaſſationem, arcebatur ſomnus; confectio alimenti, qualequale caperet, pervertebatur; pulmones aliaque tuſsis reſpirationiſque organa magis in dies reſolvebantur; tuſsis novę uſque tuſsi novæque uſque fluxioni ſtimulus & cauſa erat; ut peſſum ad poſtremùm dari ſimul cum viribus totam mechanices rationem timendum meritò foret) videbam neceſſariò veniendum eſſe ad medicinas, quæ ſpiritibus ſedandis, quietique ac ſomno conciliandis repertę ſunt: Futurum enim, ſi ad aliquot continenter

horàs

horàs ſuppreſſâ tuſsi ſomno caperetur, ut fatigatæ partes vireſque reficerentur, ut minor tunc temporis fieret ad pectus fluxio, utque recreatis viribus fibriſque partium, facilius deindè, ſiquid fluxiſſet, tuſſiendo purgaretur. Quapropter potiunculam deſcripſi noſtrate papavere medicatam, ſeris horis ſumendam. Manè ut reverſus ad Ægrotantem ſum, comperi prę tuſsi totam quaſi noctem evigilaſſe; neque ſumptam potionem. Ut ſequenti nocte ſumeret tamen monui: expediret enim. Altero mane tuſsi et pervigilio quaſſum laſſumque item reperi. Arbitrum curationis Medicum iteratò noluiſſe ſumi præſcriptam per me potionem: fore quippe, ut alvus per eam laxaretur; quod in primis exitioſum ajebat ille. Inſtabam nihilominùs ut omnimodè ſumeret. Soporifera neutiquam laxare alvum, quin laxam cogere. Neque tum à laxitate alvi metuendum eſſe, cùm ut laxa fieret optandum potius, votiſque petendum maximè foret. Videre perſpicuè me, diſtineri medicamentum hôc

uno,

uno, quòd me authore proponeretur. At ſi ejuſmodi minutiis tranſverſus ageretur, præſcriberet Alter. Sin minus quod ipſe ſcripſeram arrideret, ſomnifera multifariam in promptu eſſe, Laudanum ſiccum & liquidum, pilulas de cynogloſſa, pilulas de ſtyrace veteres mallet aut reformatas, diacodium, philonia, ſulphura anodina, & alia non pauca. Ea ſingula idem præſtare, quod à me deſcripta ſorbitiuncula. Unum è tot ſeligeret; ſed ſeligeret denique. Fruſtrà aliam quamcumque curationem adſtrui, quam aſsiduus tuſsis labor & pervigilium aliundè deſtrueret. Quod biduum diſtulerat ſomniferum, impetratum demùm eſt, Ægrotante ipſo de hac re seriò proloquuto. Subrogatę pilulæ de Cynogloſſa. Sopitus eâ nocte eſt ſopore placidiſsimo, vix à tuſsi expergefactus. Manè egregiè recreatus habuit longè meliùs: Minùs ad pulmones fluxerat: facilior, expeditiorque erat, quod fuerat præmonitum, anacatharſis. Diffuſus circumquaque rumor illicò eſt, Ægrotantem unicâ neſcio-

qua pilulâ restitutum. Alterius nomen proximè Æsculapium inscribebatur. Festę jam aræ, sacrificalis apparatus, votivę hostiæ propè decernebantur *MEDICO LIBERATORI*. Ubi ille tantum ab opio utilitatis allatum sensit, iterum exhibuit. Et poterat tutius tunc exhiberi, cum depletis magnâ ex parte pulmonibus, quod de novo reflueret non multum esset. Biduo interjecto, ad alterum successive biduum eadem opii dosis iterata est, ęquè utiliter. Hæc inter vulgabatur à Partibus jam in vado rem esse. *Spiritus* ille arcanus de viridi æris, cæteraque omnia, uti dexterè opportunèque ministrata, ad cælum efferebantur. Contrà ego adnotabam Ægrotantis tussim minus quidem frequentem; non tamen minus anhelam respirationem: minus quidem quàm anteà ad pectus depluere; pluere tamen quod satis esset ad excitandam tussim: eâ verò excitatâ novam accersiri usque materiam, tussisque causam. Observabam item à qualicumque tussis motu sic misero anhelitum accelerari, sicque eum ha-

haberi, ut non tam laſſus, quàm planè victus & penè exanimis relinqueretur; palamque eſſet diutius durare ipſum labori jam non poſſe. Et cæteroqui, ſupereſſe adhuc aliquid faciendum natura ipſa inter hæc monſtrabat. Uſu namque opii, etſi magna commoda provenirent; alvus tamen (uti debuit) ſupprimebatur. Poſtquam langueſceret opii virtus, mollior ea fiebat quod ociata erat veluti emendatura: terniſque aut quaternis ſubſequutis dejectionibus, quaſi aliorſum divertiſſet, fluxio ad pulmones videbatur multo minor. Propterea quod natura monſtraret iter, aggrediendum putabam: quodque illucuſque dilatum omiſſumque fuerat, quia abſolvi rem poſſe per anacatharſim ſperavimus, tunc denique exequeremur, priuſquam ab eadem (quod ſatis apparebat) fruſtratos nos doleremus. Vires univerſim (quantumvis privata tuſsis reſpirationiſque organa attrita evidenter forent) ſtomachique vim abundè conſtare, ut poſſet locus adhuc eſſe catharticis. Alterum idcircò commonerent,

 qui-

quicum novum hocce consilium communicarem. Agi sanè de re non levi, quâque in unâ curationis securitatem, si quæ futura esset, ego reponerem. Quò major id suadenti esset authoritas, afferebam Riverianas historiolas, ut ovum ovo casui nostro simillimas. Et Æger quidem assentiebat; quippe qui intimè intelligeret, quo sua in statu res esset. Contigerat fermè cùm præfati hęc eramus, quòd liquida fieri alvus cæperit.

Cent. III. Observat. XXVIII. XXXI. XLIV.

Advenit stato tempore Medicus, quandam prę se ferens indignationem, utpotequi ægrè mecum conveniebat. Docui paucis quod ipse de novo sentirem. Spem ab anacatharsi ancipitem esse jam, & plenam periculi. Divertendum à pectore materiæ impetum, dum vires adhuc suppeterent. Quandoquidem id per sudores tentatum frustra fuerat; frustraque per diuretica (quæ lenius agerent, quàm ut fluxionis motum valerent à superioribus evocare ad renes) neque adurentia malagmata, neque vomitus fuerant admissa; con-

fu-

fugiendum jam ad purgantia; quorum vis effectusque certi utique nostrâ in manu positi essent: Id ipsius naturæ quasi voce significari, quæ restrictam opio alvum, ipsa resolvit semel atque iterum; cum diminuto ad pulmones fluxu. Modò quoniam alvus sponte suâ flueret, substinendum: si cessaret, sollicitandum. Hîc ille à me cum petiisset, *qualenam Purgantium proponerem*? Indicationem, respondi, proposuisse me: non materiam medicam; cujus in tantâ catharticorum amplitudine facilis erat selectus. Etsi quod Riverius simili in casu adhibuerat, utpote experientiâ probatum, haud imprudenti consilio revocari in usum poterat, vel semel, vel repetitò, prout res poscere videretur. *Neutiquam*, inquit; *sed Gummi ammoniacum, quod sacrum pectori est: idque per epicrasim dandum fore; si tamen dandum.* Inde ubi paululum recollegit ipse sese, sublato rerum domino supercilio, conjectisque in me oculis, graviori vocis tono exorsus, *Atqui*, ait, *monitum te volo, subducere al-*

vum

vum in pectoris morbis esse mortiferum: quin sicubi ea suopte ingenio liquescit, ominosum esse hisce in morbis: Hinc esse Medicorum omnium in praxi consensum, scelus esse in affectibus ejusmodi, emollire ventrem. Quod præsens flueret, fore utique cohibendum; sed (quoniam utile futurum ipse reciperem) sineretur licet. Posse enim quædam, præter omnes rationum & experientiæ regulas in Medicina quandoque incidere. De cætero, quod optimum factu esset, contineri in anacatharsi: neque ab hac recedendum: neque spiritum æruginis removendum ullo modo esse. In eo expectorationis peculiare privatumque jus; in eo virium ac stomachi vim refectivam; in eo pro pulmonibus balsamicam sulphuris virtutem; in eo, siquæ alia facere ad rem nostram possent, concludi omnia. Quapropter si nihil ultrà afferrem, cassum vanumque esse quod attulissem.

Insolens honestos inter viros loquendi ratio mihi quidem stomachum primò, risum subindè movit. Quid enim sperares

dicta,

dicta, quàm facta, meliora? Cum tamen, quæ ille ex impotentia magis quàm pro bono Ægrotantis contrâ differuerat, cępissem, quod facillimum factu erat, refellere; Scriptoresque medicos, simul cum Riverio, quem memoraveram, stare pene omnes pro mea sententiâ dicerem: *Discernendi*, inquit, *Scriptores sunt docti ab indoctis.* Statimque hæc fatus assurrexit: mussitans delassari se contentiosis disputationibus. Delicatuli scilicet ingenii est & molliter fastidiosi; quique siqua ipse dixerit revocentur in dubium putet authoritati dicentis injuriosum. Ægrotantium autem rebus in commune consulere, mutatâ vocabulo significatione, contentionem vocat & jurgium. Quid facerem? sivi denique, sibi placeret utcumque vellet: qui certò scirem quantamcumque operam me perditurum, manente penes ipsum curationis arbitrio: consciusque alias mihi essem, Ægro me atque mihi fecisse satis.

Ille igitur, reliquis quibuslibet susque deque habitis, inque anacatharsim unicè

in-

intentus *ærugineo ſuo ſpiritu* rem omnem abſolvere ſatagebat. Spontaneæ dejectiones ad diem alteram perſeverabant. Ut ne daretur eâ nocte opium author ipſe eram, metuens ventris reſtrictionem. Nullâ aliâ ratione opus fuit, ut daretur. Dormiit (quidni dormiret?) molliſsimè plures horas: aliquantulum etiam ſtrato corpore; jam enim id poſſe cæperat. Ex decubitu facilior liberiorque humorum circulus: Unde aliquantò major ad pulmones fluxio; reſtricto præſertim ventre (ut ſolebat) à ſumpto opio. Ejus rei cauſa nec quærebatur, nec quæſita reperiebatur. Vox nihilominus invaluerat, Ægrotantem habere longè melius. Ipſe verò traducebar per ora Partium: fuiſſe futurum, ſi catharticum Æger ex meâ ſententiâ ſumpſiſſet, ut mandatus ſepulturæ jam eſſet. Reſtitutæ ſanitatis clarius extitit argumentum, quod tonderi ei barbam, mutarique mucida multo adipe frequentique litu induſia permiſſum eſt. Deraſâ barbâ apparuit priſtinus faciei coloriſque habitus ferè nihilum immutatus.

tus. Ex quo causæ meæ non minimum commendationis & ponderis accedebat. Alvus adstricta adhuc erat ab usque dato opio: sed nil referebat, cum procederet pro voto Medici. Erat nihilominus quod usque flueret ad pectus, & creber anhelitus, &, quantumvis minus frequens, laboriosa ad extremum tussis; quam miser contremiscens, si quando poterat, cohibebat. Jamque organa pnheumatica resoluta penitus esse, suoque muneri sufficere amplius non posse, perspicuum erat. Attamen melius habebat, volebantque persuasum habere melius: adeò ut triduo elapso à detonsâ barbâ, iret tandèm cubitum in suo lectulo jussus sit. Quò ille cæteroqui adhuc validus & corpore habilis suis se transtulit pedibus, & nemine adnitente reposuit. Cum per noctem horizontali decubitu membra straverit, expeditior circularis sanguinis motus consequutus est, concurrente simul omni spirituum momento; quì à substinendo corpore, hujusque perficiendis usibus feriantes cordi arteriis hu-

moribuſque impetum auxerunt; ut vel pedes, dimoto tandem diutino œdemate, ad integrum detumuerint. Hinc proſcripto humore recepto in ſanguinem, & ſuppreſſâ ad quatriduum alvo, febris intenſior, ſubitaria novaque in pectus alluvio, huberior tuſsis cauſa, gravior reſpiratio, & à remorato ſanguinis rapidius acti per pulmones progreſſu ſuffocatio atque inflammatio facta ſunt: à ſpirituum verò confuſo perverſoque per cerebrum motu delirium.

Manè iſthæc fermè reperi. Quibus alter Medicus ut provideret, præceperat (maturiùs ut viſerat) dari alternatim horis ſingulis modò cyathum calidæ, modò binas ligulas olei amygdalini. Dederatque jam ipſe, priuſquàm abiret, præter amygdalinum, calidæ duo pocula. Qui nimirum doctos ab indoctis Authores adeò ſcitè diſcerneret, hic haud ęquè diſcernebat, ſecus eſſe ſucurrendum præfocationi, quæ à diſtentione membranarum ſpaſmodicâ; ſecùs ei, quæ à ſpiritalium partium atoniâ atque

à materiæ farturâ sit. Cum autem à languente peterem: qualem se sentiret? Quî, inquit, me sentiam? qualem porrò, qui spiritum vix trahit, & stomachum insuper habet plenum aquâ calidâ. Submoveri jussi ea omnia, darique operam substinendæ respirationi, non extinguendę: Hinc sublevari à decubitu, locarique altiori positu Ægrotantem, appositis ponè pulvinaribus, quo minùs anxiè respiraret. Viribus, ut paulò superiùs notavimus, satis constantibus, periti Medici erat, siquid adhucdùm pro rei angustiâ tentasset: uti tentandum certè fuit; sed non erat id mihi integrum. Quamobrem cùm proximè moriturum viderem, abii, neque amplius redii. Mortuus ille perendie est.

Hîc Partes mutire primùm: mòx asseverare Ægrotantem aliàs à suo Medico, vel primo intuitu, pro mortuo habitum. Quod ultrò credimus. Quidni autem haberet pro mortuo, cui statim pauculas vitæ horas præfinierat; cui Viaticum, cui extremam ipsam Unctionem tàm tumul-

tuariò, tàmque prȩcipiti festinatione ministranda procuraverat? Verùm ubi illusum suo se judicio comperit, non item, puto, pro mortuo habuit. Etenim si de vitâ Hominis tàm certò desperaret; quarè deinde illius curationem mihi subripuit, sibi addixit? quarè conclamatum jam non reliquit mihi? Quarè tanta fuit ergà me humanitate, ut partem dedecoris sibi ultrò adsciverit, ne unus ego toti succumberem? Quarè quæ ego proponerem scrupulosè adeò rejiciebat? Isthæc desperantis esse, quis eousque stipes erit ut credat? Undenàm præterea fuit, quod procedente curatione vulgatum unâ omnium voce est, emersisse jam è vadis ægrotantem? Ubi verò tonderi illi barbam, ubi iret tandem cubitum in suo lectulo jussit, tumne etiam habebat illum pro mortuo? Id, sodes, offundere oculis nebulam, & rationi hominum insultare est.

At ego, ajebant, oscitabam è diverso in tam præsenti Viri discrimine; neque ȩgritudinis vim, qualis & quanta foret,

dig-

dignoveram. Nimirum non videram Empyema: quod non inficior: ſed actum de hoc ſatis ſuperque ſuperius eſt. CATHARRUM SUFFOCATIVUM, utcumque voluerim, non poteram non vidiſſe: adeò erat in propatulo. Quibus autem is conditionibus gravior fieret, quę timenda ne conſequerentur, quæque facienda eſſent, ut quę timebantur occuparentur; ſinguli quotquot à me de morbo ſtatuque Ægrotantis ſciſſe libuit, fuſè intellexerunt: ut ex hactenus narratis intelligi vel fuſiùs poteſt. Neque pro merito aſſerebant, oſcitaſſe me, aut vim ęgritudinis neglexiſſe; Qui adverſùs morbum remedia majora ſtatim ab initio vocaverim, quęque iidem ipſi, qui oſcitaſſe me ajebant, exhorruerunt. Quod certè non de nihilo fuit; neque ut facerem levis conceptu cauſæ adductum me fuiſſe credendum erat: cujus aliàs curandi methodum, ut timidam, & penè ocioſam, atque à medicinis, maximèque à mittendo ſanguine alienam vulgò reprehendunt. Quòd ſi oſcitare me dicant, quòd rumores in populo

in-

inter curandum non excito; quòd tumultuosus rerum ostentator, quòdque magnificus exaggerator non sum: dicant licet. Pacatum mi animum natura dedit, omnisque osorem artificii. Neque idcircò qui meę se curæ credunt, omnes periclitantur. Siqui autem pereunt; non tamen pereunt (nisi improvisò id illis accidit) ex Ecclesiæ Catholicę ritu non expiati: interlucente, quibus ego circundor, tenebris virtute & Sanguine Jesu Christi; qui lux hominum est. Lux autem in tenebris lucet: sive in iis qui suas sentiunt tenebras, & profitentur.

Ego nihilominus (objectabant) morbum non esse mortiferum asserueram. Quid verò obstat, quo minus id ipsum nunc etiam asseram? nullusne mortalium evasit à catharro suffocativo? Imò aliquam multi. Sunt sanè morbi quamplurimi visu etiam gravissimi, qui sine Medici ope, aut certè minimâ, curantur. Alii sunt, qui nullâ quantâlibet Medici industriâ operâque, curari possunt. Sunt qui à Medico

cu-

curari & poſſunt & debent. Ex horum numero fermè erat morbus, de quo agimus. Is, etſi lethalis ex ſe non eſt, ſicubi tamen anacatharſi non ſolveretur, è pluribus, quos poterat, quoſque ego præmonueram, lethalem aliquem alium morbum tracturus poſt ſe neceſſariò erat. Iſtud à Medico provideri occuparique omninò debuerat. Si mihi uni libera curatio relinquebatur, aut fallor, aut mortuus Æger non fuiſſet. Sed ſtatutus ſuus unicuique dies eſt. Qui ubi tandem advenit, ea interponantur opportet, quæ neceſſariò ſecum perniciem ferant.

Addebant ultimò, ſeriùs acceſsiſſe ſuum Medicum ad curationem: cum nempe curationi locus amplius non erat. At citiùs fortè acceſsit, quàm opus fuit. Quod num ex ratione aſſeverem, paulò altius regrediendum eſt; nonnullaque hùc revocanda, quę cùm conſultò penè intacta ſuprà reliquerim, ad hunc fermè locum rejeceram. Ex iis enim quæ fecit, quæ facturus ille fuiſſet, ſi acceſsiſſet anteâ, haud dif-

fici-

ficilè, puto, conjicitur. Admissus ad curationem est die morbi decimaquintâ. Quę morbi periodus, si ejus spectes tempora, vix initia prætergredi dicenda est. Malè tunc habebat Æger, non tamen pessimè. Decumbebat in lectulo distento corpore; tametsi somnum longiusculum non nisi sedens captabat. Suis se manibus vestiebat. Nunc per ædes hàc illàc inambulabat; nunc assidebat amicorum colloquiis: ut nostræ etiam consultationi adstitit unà cum aliis. Utprimùm exceptus coram Ægro sic se habente est, statim protulit Empyema. Post annunciatum Empyema, auspicatus suam curationem est à mutatione loci. Hęc erant quædam veluti velitatio. A supernis ædibus ad imas æstivasque descendere Ægrotantem jussit. Magnum porrò solatium adversus æstus ferventis solis, quodque ego nescieram excogitare! Sed Æger nocte habuit longè pejus: interdiu adhuc pejus: nocte dieque alterâ deteriora omnia ad tertium à descensu diem. Spiritum ducebat difficiliorem; tussi acriùs afflictabatur: cum-

que

que decumbere neque ſtare ullo modo jam amplius poſſet, ſedere uſque immobilis cogebatur; nec niſi reclinato in cubitos capite dormitabat, ſi quid per tuſsim liceret. Eòque tridui ſpatio, adducta res eſt, ut, conſuleret ſupremis ſuis, admonitus Æger ſit: quemadmodum & conſuluit, fortiter profectò & religioſè; poſtque hęc, cum mœrorem ſilentium plenam funere domum circumſpiceret, induere miſer ſpeciem, parteſque proximè morituri. Ut contigit tàm pręceps decidium ab ingreſſu novi Medici, equidem dubitabam fuiſſetne illius ingreſſus efficacior quàm ipſe morbus.

Ut autem quàm fuerit ſalutaris ea ejus ad curationem acceſsio penitiùs introſpiciatur, tria hæc notentur oportet. Prolatum Empyema: deſcenſus in terrenas ædes: mortis annuntiatio. Num præpropero immaturoque judicio, atque inconſideratius aſſerüerit factum Empyema; num, factumne an infectum ſuſque deque cum haberet, aſſerüiſſe tamèn libuerit, ipſe viderit. Id certum eſt fieri non potuiſſe,

quominùs Ægrum vehementèr permoverit novi morbi notitia : quâ et Medici pœniteret, qui per imperitiam, vel per incuriam exegisset illucusque curationem; & noviter auditi morbi truciori facie perterrefieret. Morbos fieri, factos verò ingravescere vehementium animi perturbationum accessu, quis est qui nesciat, ut pluribus id persuadere opus sit? A mutato autem conclavi nasci quicquam mali potuisse, ne suspicatus Medicus quidem est. Sed qui difficilè spiritum ducunt probè ipsi norunt, quousque malum auget aër conclusus minusque liber. Vidi ego sæpius (et quilibet Medicorum viderit) reserare Asthmaticos cubiculi fenestras, cum suffocatio premeret; quin domo raptim egressos petere vel intempesta nocte editiora loca, & aërem quęrere liquidiorem. Quòd verò aër in subterraneis caveis, in imis vallibus, in terrenis ædium conclavibus, similibusque locorum terminis interceptus, gravior sit, & respirationi minus idoneus; exploratius in physicis mechanicisque est,
quâm

quàm ut in eo multum laboremus; cùm vel barometro demonſtretur. Quapropter mirum non eſt, ſi Ægrotans, qui jam anteà difficultèr ſpirabat, ſtatim pejus habuit, atque in aërem deſcendit reſpirationi minus accommodum. Cum quorum reſpiratio difficilior eſt, quacumque aëris alteratione vel minimâ ii lædantur; pręque Aliis de facili percipiant vel minimam, ſiquam ille conceperit, novitatem. Id quidem ego protinus, ſed incaſſùm, animadverti. Poſt hæc, quoniam actum de pręſenti jam eſſet, ut cogitaret de futurâ vitâ Ægrum monuit. Quod Vir magnanimus eximiâ pietate ac fortitudine exequutus eſt. Verùm quiſnam mortalium tantę animi ſecuritatis uſpiam ſit, qui propoſitâ de vicinò morte non perhorreſcat? Quod autem pavor reſpirationi hujuſque inſtrumentis noxius è directo ſit, nemo, arbitror, eſt qui dubitet; cùm non tam ratione cuique conſtet, quàm ſenſu. Ex eo ſiquidem ſideratis veluti ſpiritibus, cordis ſanguinis ac ſpiritalium partium motus uſuſque intercipitur, vel cer-

tè languescit. Nec semel contigit subito incusso terrore (nedum suppressa menstrua aut lochia; quod passim solet) sed magnas suspensas hæmorrhagias, intercisam respirationem, lethales inductas syncopes. Et nedum terroribus vigilantium veris, sed vel imaginariis somniantium spiritum, vocemque strangulari communi Puerorum experientiâ notum est. Quam sanè pavoris vim versu complexus est, & penè definiit rei physicæ consultissimus quisquis ille est, qui ait

Obstupui, steteruntque comæ, & vox
faucibus hæsit.

Quod si hos in Sanis facit pavor effectus; longè porrò deteriùs habiturus eos est, qui angustias pectoris patiuntur. Splendidissimum hujus rei exemplum, quodque loco omnium esse posit, habetur apud Petrum
Lib. XVI. Observat. X. Forestum ex suæ uxoris Avunculo. Hic ortompnæa solitus identidem corripi, nocte quadam subito perculsus terrore, suscitato inde paroxismo vehementissimo, pauculis horis sublatus est. Hæc ita cum ha-

habeant, causæ in propatulo sunt tàm præcipitis Ægrotantis nostri in deterius lapsus Prolatum inconsideratò Empyema; imperata inconsultò mutatio loci; oblata præproperè species vicinæ mortis. Iis novus Medicus ingressus auspiciis est. Neque est cur dicas, nullius culpâ id factum esse; sed sponte morbi. Ut brevi tridui spatio Æger in pręceps rueret; non is profectò erat morbi ordo: cum servet suorum motuum natura gradus, nisi transversà quâpiam vi deturbetur. Et facti causas, quas nos contrà adduximus, magnas eas esse probavimus, aptasque quibus magni responderent effectus. Quales eousque vidimus respondisse; ut perductus ad extrema (quæ Medicus censuit) videri Æger potuerit.

Conabar ego inter hæc erigere jacentem animum. Etsi enim dubia tum erat meis dictis authoritas; quia tamen quæ spem alunt pronius accipiuntur; utcumque potui substinui. Alter, ut vivere Ægrotantem præter opinionem & sua pręsagia

ſagia videret ; alia nihilominus de novo urgebat : ajebatque , etiamſi vitam protrahebat , futurum tandem , ut in phtyſim incideret. Ego , cum reſcirem , futurum negabam , quouſque ſputum non ſalitum non acre non exedendo ulceri eſſet ; ut certe nondum erat , nec fuit in poſterum : tametſi quòd poſſent alia perinde mala ſupervenire non negabam. Relicta mox vanitate prognoſticorum , conceptaque animo ſpe curationis , ad hanc nervos induſtriamque omnem ſedulò contulit. Aſt prętermi nutiolas illas, quas ſuprà recenſuimus, quid novi attulit ad eam inſtituendam utilius, quàm ego inſtitueram? Indicationem (quam benè , an ſecus ſtabilieris ſumma omnium curationum eſt) novam profectò non attulit , quâ ego cęperam , proſequutus. Attulit autem , quæ ipſe prætermiſeram , unguenta & litus inungendo thoraci. Papæ, rem providam & fructuoſam! Quæ verò inunctio , qui litus pingui corpori , ſuopte tranſpiratu per tempus ęſtivum mollito ac lævi , cuique ſuuſmet ſuccus pro litu eſſet?
Num

Nùm erant transpiratio et sudor unctuosis coërcendi, ut quod per cutis spiracula diverti foras non posset in pulmones relaberetur? Nùm è re languentis erat asiduâ affricari lituum molestiâ, aut rancido pinguedinum situ mucescere? Sed nugæ hæ, prę eo, quod prætereà attulit. Attulit spiritum viridis æris compositum. Arcanum, marspitèr, medicamentum! Cuinam autem Medicorum hisce temporibus non prę manibus Ettmüllerus? Is à suo in praxi institutore Joanne Michaeli remedium illud mutuatus, sexcenties hàc illàc, ut suus est mos, per sua Commentaria describit. Verùm quid illud denique est, prętet acorem vinaceorum è Cupri particulis ignis vi receptum, unà cum spiritibus ex Ammoniaco & sulphure prolectis, qui singuli acidisimi sunt? Nam si Tachenium adversus Zuelpherum audimus, spiritus viridis æris ipsissimum fermè est atque acetum destillatum. Quòd si aliquid ex æris ramentis abripuerit, inde est, quòd subverso stomacho nauseam primò creat; proximè vomen-

mendi quasi conatus (ad quod non minimum facit immanis ille fætor, quo istud medicamentum esse horridum solet;) consentientibus ultimò thoracicis instrumentis ; unà cum forti tussi promovet, etiam anacatharsim. Et credibile est, præter emeticam cupri vim, symbolum conferre suum acrimoniam vimque liquoris salinam, quæ fibras asperius vellicet. Quâ causâ & ipse vomitus et omnia quę vomitum cient, paulatim et per interjecta spatia temporis ex ligulâ sumpta, utilia expectorando sunt, veluti quæ ex albo Veratro, Scillâ, Peto, similibusque conficiuntur. Eâque ipsâ ratione idem Ettmullerus, siquando hocce suo spiritu usus est, addidit aliquantillum de syrupo emetico. Idem præstitura existimo quęcumque œsophagum stomachumque reddunt nauseabundum, quęque acutiori quocumque stimulo irritant, & spasmo contrahunt. Cæterùm quod ajunt eam mixturam, quippèquæ acerrimo constat sale, cruda & glutinosa; vel ultra ventriculum, incidere attenuare resolvere,

equi-

equidem magis credo, quàm intelligo. Etenim ſi per conſuetas Chyli vias feratur in ſanguinem, parum, puto, glutinoſi occurret in venis arteriiſque incidendum attenuandumque: extra illas nullum ei jus. Sin avia quà data porta perrumpat, non tam viſcida in cavitatibus concreta reſolvat, quàm ſolidorum fibras atterat, per quas ſibi, facto impete, viam quærit. Ad hæc dubium remanet, nùm ſint acidiſsimi ii ſpiritus pectori, nùm febrienti utiles? Illud contrà minimè dubium, excitari iis violentius naturam, confertoque labore facere adigi, quod paulatino abſque ſui diſpendio alias factura eſſet. Quare ex opportuno cautoque eorum uſu, ſicubi nempè nimiùm preſſa natura per ſeſe nequeat aſſurgere, juvari eam; ex inconſulto pertinacique atteri ac reſolvi eamdem quis non videt? Hæc ſi alter Medicus diſpexiſſet, haud deliberaſſet, opinor, curationem à capite ad calcem abſolvere eo medicamento, quod, dum ſanabat, occideret. Et ſanè cum maximè reſtitutum credidit Ægrotan-

 tem,

tem, tunc interfectum deprehendit. Neque potuit non providiſſe; cùm inopportunum ego illius uſum ſępius improbaſſem. Quod Medico non latuiſſe ipſe idem certò ſignificavit eâ die, quâ pleno ore illiuſmodi mixturæ laudes exaggeravit, quaſi univerſam in eâ reperiſſet medicinam. Animus ſcilicet mihi erat, quoniam anacatharſim ſequi libuerat; hanc adjuvare pro tempore convenientibus auxiliis, quod ferè ſolet, modicâ plerumque medicinæ ope, quandoque nullà. Fortia ſiquidem molimina non ſemper natura patitur, gaudet contrà opportunis: et ſuis donata alioqui eſt nullis mortalium ſatis intellectis machinamentis ad exequenda munia ſua. Cæterò *Spiritus* ille ubi conveniat, efficax in primis remedium eſt; dignuſque qui non temerè laudetur. Siqui enim cùm veras mereatur laudes, falſas appingit, pretium ei demit: ut quum ait Alter, vim ſulphuris balſamicam pro pulmonibus in eo contineri: Compertum aliàs cum ſit nihil habere à ſulphure (ſecretâ ſub deſtillatione par-

parte butyraceâ, cui vim illam balſamicam ineſſe putant) præter volatilem aciditatem; quæ cum tuſsim acriter ſtimulet, pectori potius infenſa quàm utilis dicenda eſt. Verùm quicquid diceret de Spiritu, parum refert: proprium quippe et familiare eſſe illi videtur, quæ comperta minùs habet audacter jactare, freto Auſcultantium vel diſsimulatione vel ignorantià. Id autem quod refert plurimum, ejuſdem *Spiritus* miniſtratio eſt. Qui quemadmodùm dari utiliter Ægrotanti videri à principio potuit, ita perperàm datus in poſterum & continenter eſt; quando nulla ejus neceſsitudo erat; et ſedari temperarique tuſsim, non concitari oportebat. Importuniſsimè verò & prorſus ineptiſsimè dabatur eo tempore, quo opium miniſtrabatur: votis nempe adverſus vota è regione tunc pugnantibus; quando nihil aliud ab opio, quàm inſtrumentorum tuſsis quies, viriumque refectio præſumeretur. Sed jam *Spiritus* iſte, ut erat Ægrotanti, ita & mihi, &, puto, etiam lectoribus faſtidio eſt. Quarè

illum dimittere tempus est, quia Medicus et ipse dimisit. Quando autem dimisit? Ubi tandem jussum Ægrotantem in lecto decumbere reperit correptum mortis anhelitu. Eo mane inexpectato perculsus casu, sui oblitus medicamenti est, quando potiori certè ratione dari licebat. Subrogavit tamen aquam calidam, atque amygdalinum, utpote innoxia remedia; cumque à fortiori notam metueret, dedit leviora majori cum culpâ. Ubi enim à distentione membranarumque contractura suffocatio est, oleosa ac diluentia ibi esse proficua possunt, quòd mollitis Partium fibris è facili sequatur anacatharsis sanguinisque progressus: Cum vero est ab immodica prægravantique sarcinâ humoris, mortem ea eadem maturant. Præcipuè si multâ copiâ ingerantur (ut à Medico tunc factum imperatumque est) distento ab ingestione ventriculo diaphragmatis motui obsistente, laxatisque fibris facientibus ampliorem fluxioni locum. Neque difficile cæteroqui erat conjicere rei novitatem à præcipiti fuisse

fuisse humorum defluxu; cum argumento essent novus ad lineam horizontis decubitus, & pedum detumescentia.

Adnotavimus hactenùs pręcipua & potissima quę Alter fecit, nullâ unquam à primo ad ultimum, neque ullâ ex parte mutatâ indicatione; sed, quam ego pro anacatharsi stabilieram, integra atque in perpetuum servatâ. Quas interjecit minutulas res hàc illàc supra percurrimus. Diuretica atque balsamica, quomodocumque pręscripserit, utpote ad rem minus facientia, morbique motibus imparia, ultrò prętermittimus. De opiatis, quę à me praescripta, quae detenta ab ipso, quae data denique sunt, deque horum bono pravoque effectu, satis alibi dictum est: ubi dictum quoque, datum opium ultimò fuisse perpero consilio, restricta ad mortem usque alvo, quam servari liquidam expediret. Unum circa hoc obiter addo, quòd à principio, cum convenire ille mecum nondum refugeret, propositis per me opiatis: *Cave*, ait, *ne nomina: si enim danda erunt: clam dabimus;*

mus. Reformidabat ſcilicet Vir peritiſsimus opii uſum nomenque tunc cum maximè indicaretur. Reſtat modo, ut quæ ille non fecit cum eſſent facienda, quæque fieri prohibuit, paucis repetamus. Et poterat profectò, quęcumque accommodatior videretur corporis pars, in eâ appoſitis, quę cutim exedunt, conſilio in thoracis affectibus ſalutari, excitare ulcus, quo humor ab interioribus evocaretur: Id facilè impetraturus ab Ægrotante aliàs docili, quique, perturbatus ut tum erat mortis metu, non æquè ac anteà reſtitiſſet, imperatori præſertim vitæ neciſque. Hic tamen contempſit remedium, Recentiorum nonnullos fortè ſequutus, qui à Medicina novis neſcio quibus rationibus hoc idem pellunt. Tametſi ars non tam opinionibus conſtat, quàm experientiâ, quę hac de re antiquiſsima eſt. Inſuntqne experientię et ſuæ rationes, quas convellere, cum ſint rationes ipſius naturæ, non eſt quod laborent infirma hominum ingeniola. Quemnam verò Authorum ſequutus ille eſt, ut nullam

pror-

prorſus haberet toto curationis tempore febris rationem? Febris, opinor, ſive morbus princeps ipſa eſt, ſive producitur ab alio morbo ſi diutius duret nec intermittat, accuratè adnitendum eſt Medico, quò tempeſtivè illi occurrat. Negligi enim nullo pacto debet ea vis, quæ Animal univerſum intùs extùs diſtrahit diſſolvitque. Aſt expectorando illi etiam occurrebatur: nam purgato pectore defutura eſſet et febri cauſa. Id quidem prudenti artis conjecturâ diſquirendum erat: Num eſſet Æger expectorando ſimul et febri ad finem uſque ſalvis rebus duraturus? Numvè è binis morbis tolli alter aliâ ullâ viâ quàm anacatharſi, maturiùs poſſet; ut deinde duorum junctim inſtantium dilatâ victoriâ, adverſus unum minori cum periculò pugnaretur? num eſſet febris à morbo pectoris alius jam morbus: num alterius alter mutuò cauſa; ut vel diverſis machinamentis, vel unis iiſdemque ſed queis ambo ferirentur, forent oppugnandi? Horum nihil ad Medicum pertinuit, mordicus perſequutum

ana-

anacatharſim; quantumvis pertinere maximè, monebatur. Ubi denique anacatharſis dubia eſſe cæpit, annon dignoſci id debuerat? annon erat, rejectâ priori, ad opportuniorem indicationem pro tempore confugiendum? Minime omnium. Melius habebat Æger: abſolvenda anacatharſi curatio erat. Quique ego ſuadebam, aliam indicationem inſtituendam, certâque Purgantium vi, qui pectus inundarent, humores derivandos ad inteſtina eſſe, abſurdam exitioſamque rem ſuadebam. Sed id unicè reliquum erat, ut tunc ſuaderetur, & certè fieret. Indicationem expectorationis, quam Alter ſequebatur, ego inſtitueram; mea illa erat; qui nempè neque pulmonum debilitatem, neque, humorum alluenrium quę eſſet copia, metiri antea potuerim. Quoniam verò adduci per illam Ægrotantem manifeſtam in perniciem modò viderem, mutandam denique conſultabam. Cum re tamèn verâ non tam mutari indicationem ex eo ſequeretur, quàm locum modumque indicationis. Siqui-

quidem anacatharſis humores in pectore contentos tuſsi excreatuque rectâ evacuat per tracheam arteriam. Dejectio eoſdem illos per inferiora deturbat. Intereſt autem inter utramque; quòd illa non prius evacuat quàm in pulmones irruperint: hæc utilius ab his avertit. Illa paulatim & longo tempore exhaurit: hæc confertim brevique ſubducit. Illa cum partium ſpiritalium laborioſo opere et periculo, cumque ſomni, viriumque jacturâ: hæc immunis horum omnium. De cætero mirabar quòd purgantia tanto cum horrore is rejiceret, qui vomitum ſudoremque laudaſſet, quique ipſe diureſim admitteret et procuraret: cum horum cujuſque una penè eademque ratio ſit; quæ non niſi ex prudentiâ medici varia eſt, ſecundum nempè varias ægrotantium conditiones. Et inuſta carnibus ulcera ad idem ſunt, excitato in parte ſenſu doloris, eòque humoribus avocatis. Quin ipſa miſsio ſanguinis, ſi rem bene diſpicias, nil præſtat aliud. Subtractâ namque materiâ alluvionis affectæ parti ſucurrit, ne

inundetur. Hincque monet experientissimus Sydhenamius, nisi ad uncias quadraginta subtracto sanguine, non curari tutò pleuritides. Utque ad Purgantia revertamur: naturâ ipsâ sæpè docemur horum usum in difficilioribus Catharris, quos solutâ sponte alvo solvi, passim observamus in praxi. Idque in Puerulis clarius adhuc fit, quibus, cùm nesciant excreare quod tussiunt, illud ipsum deglutitum vice Cathartici est; mollitoque ventre, longis ii tussibus liberantur. Quod autem diceret Authores omnes Medicos prohibere Purgantia in thoracis morbis, esseque mortiferum iis in affectibus liquare ventrem, acervatim atque indiscriminatim dicebat magis, quàm ut deceret intelligentem quæ diceret. In Pthysi enim, iisque pulmonum morbis, in quibus, aut ulcus, aut infixum aliud quicpiam fluxionem provocat, non tentanda alvus temerè est, ne plus noceas quàm prosis medicamento, quod stimulum causamque tussis nulla ex parte potest vel revellere vel minue-

nuere. Fluxionum verò catharralium ratio est longe alia: in quibus, si præcipuè ad pectus impetuosius ruant, nullus Practicorum est, qui Purgantia, clysteres acriores, & quicquid aptum est derivare aliò fluxus impetum non inculcet. Quod eousque notum vulgò est, ut longus in eo esse, ineptire sit. Neque dumtaxat avertendis catharris necessaria cathartica sunt; verùm et ad Empyemata(etiamsi adfuisset Empyema, quod ille ab initio obtrudebat) efficaciter purganda maximè commendantur ab Authoribus, specialius à Daniele Sennerto. Hunc sigillatim nomino, quia et Alter antea nominaverat, quo nothum illud suum Empyema hujus authotitate suffulciret. Apud quem, ubi agit de Empyemate, uti spurium illum filium quem ipse asserebat omissum à Typographo reperiat, ita quod ego nunc profero de usu Catharticorum abundè occurrat. Scriptores alios cautiùs & timidè nominaverim, qui nesciam quos probet aut improbet constitutus lege latâ Scriptorum Censor. Et

Lazarum Riverium ut fortè protuli, acriter me castigatum memini censoriâ illâ voce: *Distinguendum esse doctos inter, indoctosque Scriptores.* Equidem, cùm sim de facili credulus, putaveram hucusque esse Riverium in re Medicâ non contemnendum Authorem; qui fuerit Græcis Latinisque literis eruditus; qui bonis artibus & multifariàm disciplinis pro ratione suorum temporum institutus; qui Hippocratis, Galeni, veterumque omnium Medicorum placitis penitiùs, siqui uspiam alius, imbutus; qui in Chymicis pr primis exercitus; qui ditissimus selectioribus medicinis; quique longo artis usu experientissimus. Ad hæc noveram; magna celebritate, dum viveret, per Galliam atque Italiam circumferri Viri nomen; deinceps verò scripta ejus per universam Europam communi omnium acceptatione vulgata. Sed liberati universali hoc errore jam sumus; Habito enim nunc denique censu Homo plebejus in Ceritum Tabulas relatus est. Nihilo tamen minùs haud facilè exue-

re

re est præ conceptam diu animo erga Hominem reverentiam : pudetque abnegare nunc Magistrum, à quo aliquam multa doctus sim. Nec æquum aliàs humanumque esse reor, insultare nos Majoribus nostris, eosque ignorantiæ redarguere, si quod pauxillum præ illis progressi sumus, minimo plerique merito nostro, sed aut serioris ætatis beneficio, aut alieno labore atque industriâ. Et videbam interea non nisi injuriâ atque ad Censoris arbitrium libidinemque è doctorum hominum censu, recepto Sennerto, expungi Riverium; cùm ceteroqui in re Medicà doctrina una eademque utriusque sit. At esto : ineruditus indoctusque sit præ Censore Riverius : in curatione tamen, quam ego afferebam, imitandus certe ille erat, quam prosperè cessisse videremus, et commendaret experientia : talique Cathartico ad avertendum à pulmone fluxum (quem nostrum fuit avertisse) erat utendum, quali se usum scribit Riverius, forti scilicet atque acri, cuique vires inessent, quæ fluxionis vires impetumque vince-

cerent : nequaquam Gummi ammoniaco quod vix purgat ; quodque nostro isti Medico non excidisset, si rationem vimque indicationis ęquè ac Riverius intellexisset. Verùm neque ammoniaco, cujus ipse idem meminerat, neque alii pharmaco, quod alvum duceret, datus locus. Quin opio restricta ea tandiu est, donec Ægrum reperimus constitutum in mortis limine. Illud autem quod in præcipiti casu tunc esset faciendum, loco eorum, quę facta ab Altero sunt, Prudentibus Artis Medicis relinquimus judicandum. Remorari in pulmonibus sanguinem, hincque concepisse eos inflammationem aucta febris acuties, undosi pulsus durities, delirium, cæteraque omnia signa loquebantur. Aderant contrà constabantque universim vires: quod exaggerabant Adstantes, & vividusdum Ægri habitus manifestabat.

En igitur, ut iis quæ Medicus fecit, quę fieri vetuit, quæque omisit facere perductus Æger est ad interitum ; utque malè dicebatur, serò ad curationem venisse ; qui cùm

cùm multa fecerit, plura adhuc et longè utiliora facere potuit. Quid verò fuisset, quid non fuisset facturus, si maturiùs atquè à principio venisset, nescimus quidem. Id modo scimus, eum turbatis in rebus, cùm à morbo ipso adulto jam et grandiori quæ fieri expediret clariori nec unâ voce doceretur, nescisse unquam recedere ab illo uno, quod in pacatioribus & morbi veluti infantiâ ego posueram: unam prosequutum pertinaciùs indicationem, unoque temerè confisum, eundemque egregiè ludificatum *Spiritu Asthmatico Michaelis*; malè interea oblitum gravissimi illius Sydhenamii effati. Non Receptulis, quas vocant, neque speciosis remediorum formulis; sed recto morbi, huiusque causarum motuumque conceptu, rectaque hinc petita indicatione Artem Medicam comprehendi.

Quod si dixerint seriùs ad curationem venisse Alterum, cùm nempè non erat amplius curationi locus, quasi perductus Æger per me jam tum esset ultra omnem curationis vitęque spem. Id quidem non

ita habere, ſatis, puto, liquet ex iis; quæ hucuſque retulimus. Præterea quæ ipſe feceram ante Alterius Medici adventum non improbata, imo affatim commendata me coràm ab eo ſunt. Si verò alibi improbaverit (quod ab iis quæ à Partibus vulgabantur conjici tum licuit) tempus jam eſt; ut quæ artis imperitis tunc perſuadebat, tandem et peritis perſuadeat. Ego ſanguinem miſeram; purgaveram; dederam emulſiones ex papaverinis & lenientibus; conſtiteramque in anacatharſeos indicatione; ſin minus benè cederet, hanc relicturus; cùm cauſæ in eâ conſiſtendi eamque relinquendi à primo ad ultimum eædem uſque permanerent. Rationum momenta quibus adductus ea feci, ſuperius expoſui. Ubi conſtitutus reus fuero, meliora fortè ſuppetet accuſatio.

Nullam autem inſtruet Alter accuſationem, qui modeſtè ſe gerebat inter curandum; qui honorifice, ubicumque res ferret, de me loquebatur; quique, ſi quando interrogaretur de meæ curationis inſti-

tutione, vel aliò avertebat ſermonem, vel apertè ajebat de iis quæ facta eſſent, non eſſe amplius diſquirendum. Atqui exolüerunt artes iſtę, putidæque jam ſunt. Qualem ſe abſentem geſſerit, ipſe viderit. Dum coram eſſet quàm modeſtè quàm honorificè mecum egerit, colligitur, puto, ex narratis. Quorſùm verò iſtiuſmodi Hominis diſsimulatio, tolerantia, reticentia? Cur non docet tandem, quę curando peccaverim, ut emendem? cur hanc mihi invidet pœnitentiam: quæ illi tam importuna, tamque aliena à charitate mei charitas? quæ nova modeſtia! Promat condita ſiquæ habet in ſcriniis uerecundæ iſtius ſapientiæ. At promat demum: et patiatur humaniter me, Remque omnem Medicorum publicam immortali novoque iſthoc ſuo neſcioquo beneficio augeri atque ornari.

His propoſitis palam eſt, uter Hominem jugulaverit. Empyema, quod nuſquam erat, Alter enunciavit: Morbi ſtatum, tempora, motus non intellexit: deceptus ſuis prognoſticis ubique eſt: quę be-

nè fecit; vel meis indicationibus fecit, vel me authore: quę malè; pro suo arbitrio. Me facti insontem satis, opinor, demonstravi. Atque utinam purgare me potuissem Altero indemni. Sed quum eò rem adduxerint, ut culpari alterutrum necesse foret; commodiùs visum mihi est, si Alter culparetur potiùs quàm ego. Neque porrò jus fasque erat, ut qui maximam potissimamque curationis partem suo marte suumque ad arbitrium peregerat, abiret copiosè absolutus; ego qui minimam attigeram, damnarer omnium sententiis. Restat modò, ut ipse culpâ se expiet, eamque in me regerat. Etsi non tam illi facilè futurum confido hanc mihi notam appingere, quàm mihi promptum diluere. Absit verò, ut ex arrogantiâ hæc dixerim; quæ vim habitura unicâ hâc ratione speramus; quia nobis causa certò est longè melior,

Neque intereà suspicari quempiam velim, odio me ullo hęc scripsisse. Etenim (licet justę indignationis causa non deerat) quænam idonea mihi esset odii causa? Medicus

dicus quidem, qui talem ſe geſsit, ſibimet ipſi, non mihi, fuit injurius: ſiquidem aucupari per has artes vulgi rumuſculos, propiùs ad infamiâ eſt, quàm à famâ. Qui verò è ſuis partibus erant, utpote Artis imperiti, qualenam de Medicinâ aut Medicis ferrent judicium, ut prodeſſent uni, nocerent alteri? Et eſt alioqui ſuus unicuique ſenſus: & propria ſunt animorum ſtudia: & liberæ voluntates.

Scripſi itaque, quod à principio receperam, ut Veritas in medio ſtatueretur, unde & Iuſtitiæ locus eſſet. Par erat præterea qui adeò publicitus ultrò citroque diſtractus fuerit, propriȩ eum, quod in ipſo foret, dignitati conſulere. Bis enim; ſemel à LUDOVICO dulciſsimæ recordationis FILIO; iterùm à PHILIPPO PATRE potentiſsimis Hiſpaniæ Regibus ad honorem profectò ſummum faciendȩ REGIIS FILIIS medicinæ vocatus quum ſim; meum eſſe videbatur id mihi decus tectum ſartum tueri, ne illo indignum argueret patientia. Et debueram Ejus, qui Regibus

 de

de me ſpopondit, præcipuam habuiſſe rationem; ne fortè Is, ſin minùs deceptor, certè deceptus videri poſſet. Nec denique non æquum fuit, Cæteris omnibus, qui me utuntur Medico, ſatisfieri; ne ſui eos de me judicii puderet. Quod omne aliquatenus factum rebar, ſi traduci impunè per ora hominum me non ſinerem; ſique pro viribus, quantulæcumque hæ ſunt, ſignificarem, non adeò me infantem hoſpitemvè eſſe in re Medicâ, qui meæ, ſiquando in anguſtias cogar, dicendę quoquo modo cauſæ non ſim, vindiciiſque ab idoneis Iudicibus poſtulandis. Quamvis nil certò opus erat hoc noſtro qualicumque molimine; ſiquidem DEUS OPTIMUS MAX. vindex Veritatis & Iuſtitiæ, cuique perſpicua atque in aperto ſunt omnia, ipſe Patronus bonæ cauſę eſt, ipſe idem Judex.

S. C. S. R. E.

